
V
B
I
D
BIBLIOTHECA
UNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS



FORTUNA DOMESTICA,

Seu

INDUSTRIÆ CHRISTIANÆ

Beatè vivendi in tempore & Æternitate,

à

R. P. MICHAELE RYCHALSKI
Pœnitentiario, Seniore Psalterist: Eccl: Cath. Vladislaviensis

Propositæ,

Opusculum curiosum & fructuosum,

Anno fortunatæ salutis, M. DC. LXXXIII.

Superiorum permissu.

Iſaiæ 65.

Ponitis Fortunæ menſam.

S. Auguſtinus L. 1. retractat.

Nihil aliud in rebus Caſum & *Fortunam* vocamus: niſi cujus ratiò & cauſa Secreta eſt.

Boëtius L. 2. de Conſolat. Philoſoph.

Prælium cum omni *Fortuna* habeatis ne Vos aut *Fortuna* triſtis opprimat, aut jucunda diſſolvat, ſed firmùm medium firmis Viribus occupate.

Socrates in ſuis exhortation.

Quæ conceſſit *Fortuna*, temperet Juſtitia, quod Juſtitia invenerit, temperet moderantia; ſi enim auxeris licentiam tuam, minuis gloriam.

Ariſtoteles L. 2. Ethic. c. 3.

Omnium difficillimum eſt; blandienti repugnare *Fortunæ.*

PERIL.



Liber Cong. Oratorij S. P. Nerij Posnaniae



PERILLUSTRI
&
REVERENDISSIMO
DOMINO.
Dn. ALEXANDRO
MAGNUSKI,
*GNESNENSI CRA-
COVIEN: VLADISLA-
VIEN: LOVICIEN:*
CANONICO
S. R. M.
SECRETARIO
*DOMINO DN. MECÆNA-
TI MUNIFICENTIS-
SIMO atq; COLEN-
DISSIMO.*
Utramq; Felicitatem.



APud Arcadios teste Xiphilino in templo Honoris fuit imagò Fortunæ crystallina, manu dextra circulum, sinistra Lunam tenens cum Epigraphe: Nec semper nec eadem. Quo denotabant eam semper instabilitati atq; mutationi obnoxiam esse. Nec immerito, Sophocles enim in solis Jovis hortis beatam reperiri felicitatem dixit. Cyrus verò Persarum Rex beatus dictus à Lysandro, quod ejus virtuti Fortunam conjunctam esse cerneret. At verò nonne beatiorem longè Te ego appellabo

bo Perilluſtris & Reverendiſſime Domine, *Cujus non modò præclaræ virtuti & pietati, verùm etiam præluſtri nobilitati, doctrinæ ac ſapientiæ* Fortunam Chriſtianam *felici ac ſtabili junctam Connubio cum admiratione intueor. Si enim Nobilitas Tua ſpectetur, Celſiſſimæ Tuæ ſtirpis ex antiqviſſima Habdankciorum proſapia, & longa nunqvam interrupta fortiſſimorum Heroum ſeriè atq; progenie fulgorem & Lucem morum Virtutumq; Tuarum radiis obumbraſti, vincens decorem & purpuram Sangvinis, vitæ claritate: dum Coruſcantem germinis Tui Lampadem, actuum ſerenitate tranſcendis; factusq; es ſuper aureum trium Eccleſiarũ Cathedra-*

ſium Candelabrum , ſtemmatis Tui ingens Lumen & Coruſcum genuinæ Nobilitatis ſidus. Doctrinam & Sapientiam quod attinet, qualem in primis annis in Aula Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi olim MATTHIÆ LUBINSKI Epiſcopi Vladiſlavienſis, poſt verò Primatis Regni & Archipræſulis Gneſenſis *Te exhibueris tot ſunt teſtes, quot virtutis induſtriæq; Tuæ habuiſti ſpectatores, æmulatores, & approbatores; quo eſſes ingenio, quàm acri, quàm fæcundo, quâ in rebus gerendis polleres dexteritate, advertêre Magni Principes & Senatores, quorum Calculo ad amplissimas in graviſſimis negotiis functiones ſæpius fuiſti amandatus.*

tus.

ius. Virtutes verò Tuas dignis coloribus depingere, laudibusq́; Commeritis celebrare si vellem, qvis Calamus, qvæ lingva, qvæve eloqvemtia sufficeret? possem eqvidem ardentissimum Tuum in perfectione Prælatorum propria Consectanda studium Ecclesiasticis personis in exemplum proponere, ut vel Tuo exemplo discerent, non in propriam minùs, qvàm alienàm salutem ordinatâ charitate incumbere. Possem insignem Tuum in Divina gloriâ promovenda Zelum, indefessam & inculpatam in munere Judicis Tribunalis Regni obeundo sedulitatẽ & vigilantiam Commemorare; ut vel Tuo fervore frigidus Nonnullorum langvor ad similem Curam accenderetur. Pos-

sem, inqvam, & has & plures alias solidissimas Tuas virtutes longo Catalogo recensere, atq; ad earundem pulcherrimam imitationem Cæteros efficaciter incitare, nisi & specialis Tua modestia aminiq; demissio (qvæ solis instar splendore suo omnium reliqvorum astrorum, id est Virtutum Tuarum fulgorem obscurat) obstaret, & aliunde didicissem, Magnorum non esse Laudem, sed admirationem. Patere ergo Perillustris & Reverendissime Domine, *hoc qvalicunq; opusculo observantiæ & gratitudinis erga Te meæ tenue testimonium exhiberi, atq; eò facilius operi oculos adhibe benovolos, qvo auctori manus exhibes Liberaliores. Vive diæcesis Nostræ singulare*

decus.

decus & Columen diu incolume, Vive Ecclesiæ ornamento, Patriæ Commodo, nostro bono, seraqve senectute laborum dulces fructus recolens Fortunatas gloriosæ vitæ vividæq; gloriæ Insulas, auspicatus ingredere; ita ex imo precor.

Perillustris & Reverendissimæ Dominationis Tuæ

Æternùm devotus Cliens

MICHAEL RYCHALSKI, Penitentiarius Senior Psalteristarum Ecclesiæ Cathedralis Vladislaviensis.

CENSURA.

LIbrum, qvi inſcribitur: *Fortuna domeſtica*, ſeu *Induſtriæ Chriſtianæ beatè vivendi in tempore & æternitate*, ab Admd. Rndo. Dno. MICHAELE RYCHALSKI Pænitentiario Seniore Pſalteriſtarũ Eccl: Cathedralis Vladiſlavienſis ſedulo conſcriptũ, vidi & legi, nihilq; reperi qvod Eccl. Catholicæ ad verſetur, imo utilẽ & lectu omnibus neceſſarium, proindeq; luce publica dignùm indicavi. die 3. May. Anno Dni. 1682.

CHRISTOPHORUS BERNEWIC
S. Th. D. Canonicus & Cenſor delegatus Vladiſlav.

Clemens Alexandrinus Lib. 1. ſtromat: *dixit:* Nullam Scripturam ita fortunatam prodire, cui nullus omnino contradicat.

PRÆ-



Ortuna aurea domestica effigies, in Principum aulis usurpata fuit, qvam morituri ad alios transmittebant. *Ut habet Julius Capitolinus de Antonino Pio.* Fortuna domestica Severi Imperatoris ita filiis relicta ut alternis diebus, in alterius cubiculo esset. Thimotheus Imperator Athenien. in somno vidit *Fortunam* in rete à se expansum urbes Compellere, is tamen brevi omnibus exutus, in chalcide exulavit. *D. Hieronymus in Isaiæ c. 62. Scribens*, Fortuna, inqvit, Dea, qvam ponebant Gentiles regentem humana, circa divinam providentiam; Cui etiam Judæi idololatræ mensam seu Altare ponebant: unde reprehenduntur ab Isaia: *Vos qvi dereliqvistis Dominum,*

minum, qvi obliti estis montem Sanctum meum qvi ponitis Fortunæ mensam, & libatis super eam numerabo vos in gladio & omnes in cæde Corruetis. Isai. 65. An hoc tâm detestabile & abominabile idololatriæ sacrilegium etiam in Christianos Cadere posse censetis? Profectò in omnes illos cadit qvi ut Athæi vivunt, & omnia fortuitis Casibus, divinationibus, superstitionibusq; , qvasi Nulla DEI Cuncta gubernantis prudentia aut providentia esset, adscribunt. In hos rectè vertit *Lyranus* justam DEI apud Isaiam qverelam: *Electi mei Christiani*, qvi dereliqvistis Dominum, & obliti Montem Sanctum meum, ubi erat templum divino Cultui dedicatum tradentes se spiritibus erroris, vel immundis doctrinis dæmonū, *parant Fortunæ mensam, eo qvod reputabatur Dea felicitatis*

tempo-

temporalis: & nihil ad DEum pertinere credentes; sed vel stellarum Cursu, vel Varietate Fortunæ omnia gubernari, hi tradentur æternis supliciis, ut nullus eorum possit evadere. Ab his Diaboli fallaciis, ab his mentis fascinis, & ab æternis qvibus ejusmodi expositi sunt suppliciis, ut eos pro virili parte eximere qveam; aliam *Fortunam Domesticam* longè feliciorem, qvia piam & Christianam, seu *Industrias* ad beatè in tempore & æternitate vivendum, propono. De cætero benevole Lector, Non tibi mea propria tradidisse putes, nec tanqvam nostra suspicias, sed è multis Sermonibus Patrum, qvòrum digna satis laus est in Ecclesia, qvæ huic videbantur aptæ negotio, noveris decerpsisse sententias, & sub unam utcunq; formulam redigendo, hunc tuæ dilectioni

edidiſſe librum. *S. Bernard. Hom. in Evang. Ecce nos reliqvimus.*

Proteſtor autem, qvod omnia qvæ hîc ſcribo, velim intelligi ad mentem Decretorum Urbani VIII. Anno 1625. 13. Martii. 1631. 5. Junii. 1634. 5. Julii. *datorum, & explicatorum.* Vale fruere, & mei peccatoris in precibus meminiſſe ne omitte.

§. I.

§. I.

INDUSTRIÆ

Diù & beatè Vivendi.

I.

Timòr DEI.

AD prolongandam vitam præsentem prodest timor DEI, cùm in omnibus anteactis sæculis, experientia docuerit, eos diutiùs vixisse sanos & incolumnes, ad ultimam usq; senectutem, qvi DEO in sancto timòre servierunt. *Timòr Domini apponet dies*; inqvit sapiens, *Proverb.* 10 Id est (*subdit Diònìis Carthusianus*) homo DEUM filialirèr timens vitæ prolongationem meretur, & ad annos æternitatis perducitur, de qvibus in Psal. 76. habetur: *Annos æternos in mente habui*, vitamq;

tàmq; gratiæ & ipsas virtutes, qvæ sunt dies Cordis, timòr DEI adducit & auget. E contra: Anni impiorum breviabuntur (ait idem Carthusianus) qvoniam sæpè propter sua scelera occiduntur, & gulosè turpitèrq; vivendo, suam abbreviant vitam.

II.

Pænitentia.

Qvi vult vitam sperare longævam, condignam agat pænitentiam. *Tertullianus inqvit Lib. de patientia c. 4.* Penitentiam malo qvàm mortem; Ergo Pænitentia vita est, cum præponitur morti. Qvi autem peccando hanc differt, simul cum peccato lateribus suis vicinam experietur mortis falcem.

III.

Fuga Vitiorum.

Sirenaus illum locum Psal. 33. Qvis est homo qvi vult vitam. De vita intelligit præsenti, qvæ ut prolongetur qvidnam agendum sit, mox addit: *Probibe lingvam tuam à malo, & labia tua ne loqvantur dolum, inqvire pacem & persequere eam.* Conversationes illas minùs honestas derelinqve, blasphemare Noli, de tuo proximo ne murmures, sis freqvens in Sacramentorum usu, & sic operando, longam habebis vitam.

IV.

Jejunium.

Stanislaus Resciuscribit de Hosio Cardinali, qvod qvadragesimia

gesimali abstinentia vitam protraxerit. Scriptum esse memorabat: *Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Per Patrem DEUM, per Matrem Ecclesiam intelligendo *in vita ejus.*

V.
Cultus Marianus.

B. Virgo MARIA vitam corporalem tribuit, ut affirmat *D. Anselmus apud Bust. p. 1. Ser. 8.* Hisce verbis: Quia Virgo gloriosa in sua Conceptione est singulariter honorata, ideò ejusdem Conceptionis suæ devotos Cultores ipsa honorat juxta illud 1. Reg. 2. *Quicunq; honorificaverit, me, glorificabo eum.* Celebratoribus hujus festivitatis, datur à Filio Virginis Domino Nostro

JESU

JESU Christo pax & longa salus. Naturalis vitæ diuturnitatem à Virgine precibus impetrandam esse docet D. Bonaventura in Psalter. Virg. Qvi talem ad B. Virginem fudit Orationem: Vitam, & naturalia bona conserva in nobis, & bona spiritualia per Te multiplicentur.

VI.

Suffragia pro defunctis.

Elias à S. Theresia è Cornelio Abbate Legationis pag. 1409. ait: piæ fæminæ vitam longiorem, per preces animarum purgatorii impetratam; qvo pluribus animabus opem in purgatorio ferre posset; ut pote qvæ jam novem animas inde æternæ asseruerat libertati, qvæ adhuc septem annos fuissent in lustralibus

bus ignibus detinendæ. *S. Constabilis* post mortem Leoni cuidam, in precibus negligenti per qvietem Visus dixit: *Qvare tàm negligentèr agis, & debitàm Psalmodiam defunctis neqvaqvam reddis? festina & præpara te; qvia valdè citò morieris.* Inde ille otii osor factus, & in orando assiduus, brevi cessit è vita. *P. Nadasi.*

VII.

Eleemosyna.

Ferrarius Lib. porta æternitat. p. 3. c. 16. Divinitus revelatum cuidam refert, qvod Nocte præterita in statu peccati mortalis, apoplexiâ extingvendus fuisset, nisi naturæ cursum, DEUS naturæ author suâ misericordiâ impedivisset. Idq; ipsum fecisse ob actũ charitatis, qvem bonâ eleemosy-

nâ

nâ pauperi datâ exercuerat. Illum nisi exercuisset; fuisse tunc moriturum, atq; damnandum.

VIII.

Cultus Ss. Nominis JESU.

B. Henricus Suso Ord. S. Dominici, uni dixit Virgini revelatum esse, qvi Nomen JESU apud se defert, in Vita benefacere ipsi DEUM, & in morte propitium ei esse.

IX.

Fervor in benè operando.

Sunt Mortaliũ complures, qvi cum benè cæperint, Ægyptoq; fuerint alacriter egressi, corde tamen affectuq; eodem revertuntur,

tur, qvibus non malè illud ex Evangelio conveniat: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Sunt præterea nec ii rari, aut pauci, qvi licet pedem ab incepto non referant, pigri tamen ad ambulandum, a morte, priusqvàm opus perfectum habeant, præoccupantur. Et talis qvidem ex filio Carolo Nepos *S. Birgittæ fuit, cui S. Avia* jam cælis addita apparens, ac manu Clepsidram Prætendens Cujus omnis pænè arena defluxerat: Ecce inqviebat, qvam parùm vitæ tibi supersit: ubi exigua hæc arena dilapsa fuerit, morieris: Vixisses diutiùs, si priores dies non decoxisses; qvibus cum ille omnimodam sui emendationem, vita comite addiceret, rogaretq; sibi eam impetrare vellet a DEO, audiit, jam

ſeriùs eſt: qvo dicto evanuit. *Lyreus de imitat.*

X.

Amor Virtutum.

Tria longævum efficiunt in. qvit *Beſſeus in Nucleo.* Primò: Exod. 20. *Honora Patrem, &c.* Secundò: Eccles. 37. *Qvi abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Abſtinens in victu & Venere, Nam *Ariſtoteles Lib. de animal. ait*: Animalia magni coitûs ſunt brevis vitæ. Tertio: *Manſveti hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſæculum ſæculi*, id eſt, diù.

§. II.

INDUSTRIÆ.

Maleficia, & Diabolica machinamenta evadendi.

I.

Signum S. Crucis.

S. Chrysostomus tradit: sicut, inqvit, sine calceamentis, vel vestimentis vestrûm nemo in forum descendere vellet, sic sinè DEI verbo nunqvàm in forum prodeas, sed cum es januæ vestibula transgressurus; hoc priùs loqvere verbum: *Abrenuntio Tibi Satana, & conjungor Tibi Christe.* Nunqvàm absq; hac voce exeas: hæc erit Tibi baculus, hæc armatura, hæc tunis inexpugnabilis. Cum hoc verbo & Crucem in fronte exprime: sic enim non tantùm homo obvius, verùm nec ipse Diabolus, te lædere poterit, cum his te cernens armis ubiq; apparentem.

II.

Aqvæ benedictæ usus.

Magarum Variæ Confessiones produnt, ubi freqvens lustralis aqvæ usus est, maleficiali-bus

bus suis facturis ac ligaturis, ad morbos ac necem inferendam locum esse non posse. *Martin. Delrio in disqvis. Magic.*

III.

Oratio.

Julianus Apostata. Dæmonem Nuntium misit è Persia in Occidentem, Sciscitatum de rebus, qvas rescire optabat, Perveniens Dæmon ad locum qvendam ubi *Publius Monachus* habitabat, stetit ibidem decem dies immobilis, non valens progredi; qvod Monachus ille diu Noctuq; oraret. Qvapropter regredi coactus, Juliano moræ causam narravit. Fremebat ad hæc Julianus; at unus Procerum rei admirabilitate attonitus, conversus deserto Juliano factus est Publii orantis,

dæmoniq; invisi discipulus. *Baronius & Spondan. an. 363. n. 9.*

IV.
Evangelium S. Joannis, Nomen JESU & MARIÆ.

S. Joannis Evangelium, Ss. Nomen JESU & MARIÆ, aut alicujus Sancti secum ferre, valet contra maleficia & contra morbos, ut docet D. *Augustinus Trac. 7. in Joan*: Qvod ergo dicit Apostolus: *Evangelium Virtus est in salutem omni credenti*, Rom. 1. 16. intelligi potest non solùm qvia est causa instrumentalis salutis & Vitæ æternæ, sed etiam qvia causa sit Salutis corporalis piè susceptum & delatum à fidelibus.

V.
Missæ Sacrificium.

Attestan-

Atteſtantur, qvi de Sagis & maleficis, eorumq; maleficiis tradunt, qvo qvis die Sacrum miſſæ officium audierit, à nullo planè veneficii qvaliscunq; faſcino, aut philtro, lædi poſſe. Fatentur & ipſæ veneficæ, ſe vehementiſſimè à diabolo torqveri, nullibi qvietè verſari, niſi in templo, dùm audiunt ſacrificium Miſſæ. *Delrias diſus Magic. L. 2. c. 2. ſec. 3. q. 8.*

VI.

Sacramentum Confirmationis.

Juvat Sacramentum Confirmationis contra maleficia, ut qvi nondum recepit conſulatur ei, eo initiari ex doctrina *S. Gregorii Nazian. Orat 1. in Julian.*

VII.

Confessio.

De naturalis congressûs, Sathanæ operâ præpediti curatione, ita scribit *Igmarus Remensis Archiepiscopus*: si per sortiarias atq; maleficas artes, occulto sed nunqvam DEI injusto judicio permittente, & diabolo præparante, concubitus non seqvitur, hortandi sunt, qvibus ista veniunt, ut corde contrito & Spiritu humilitatis DEO & Sacerdoti purè confiteantur.

VIII.

Signum S. Crucis.

Refert *Bartholomæus Spineus Qvæst. de Strigibus*, de qvadam Saga, qvæ confessa fuit, qvod noctu plùs qvinqvagesies adiisset domum Vicini cujusdam & pa-

gent

rentis, ut puerum in cunis suffocaret; nec qvicqvam potuisse, eo qvod invenerit eum semper munitum signo S. Crucis. *Martinus Delrio scribit ex Niderio.* Petrum qvendam, maleficarum Judicem, semel manè surgentem. Sinè Crucis signo, à dæmonibus per gradus deturbatum, id, qvod Magæ postea sunt Confessæ, L. 3. p. 1.

IX.

Oleum Sanctum.

In Vita, *S. Parthenii Episcopi Lampsaci* scribit Metaphrastes mulierem venificio attentatam, per oleum Sanctum epotum Liberatam.

X.

Ad fugandos Dæmones à bestiis, & frugibus, & contra locustas remedia sunt hæc: *Exorcismi*

ab Ecclesia instituti, Reliqvia & intercessio Sanctorum Orationes piorum; & Locustæ excommunicantur, & prodest sæpe ad earum extirpationem, sed hæc omnia agenda sunt cum fide in DEUM, & bona conscientia Sacerdotis. *Malleus Malefic. par. 2. q.* 2. c. 1. *Dominicus Soto in 4. distin. 34. q.* 1. ar. 3. docet: Nos posse Maleficũ cogere, & ab eo pecunia extorqvere, ut ligaturas qvas habet sepultas, aut Suspensas, aut alicubi asservatas, illinc dimoveat, qvia illud Maleficum facere Virtutis est, & qvicunq; sciret ubi sunt, posset illas subtrahere.

§. III.

INDUSTRIÆ
Fulmina & tonitrua evadendi.

I. In

I.

In vita Angelici Doctoris D. *Thomæ Novissimè à Paulo Frigerio* in lucem edita, legitur qvod adversùs tonitrua & fulmina hiscè se Verbis obarmare consveverit dicendo: *Verbum Caro factum est, & habitavit in Nobis*, Lib. 2. c. 3.

II.

Ozanna de Cataro ex Ord. S. Dominici Vitæ Sanctimoniâ celebris, titulum hunc: *JESUS Nazarenus Rex Judæorum*, uti perpetuò in corde suo gerere solita, ita & ore exprimebat: hoc se contra tonitrua & fulmina indemnem, hoc aridam se, & tristem recreabat, hoc item, ut alii facerent, identidem obsecrabat. *Sylvan. Razi in Vita.*

III.

Author est *Tilmannus Bredenbachi-*

bacbius duos Genevâ Lausannam euntes, cùm inter fulmina atq; tonitrua, alter se Cruce signaret, altero Calviniano dicente: Siccine Muscas à Naso tuo abigis? & ecce tonitru deniq; intonuit, & irrisor ille fulmine percussus interiit, *Niderius Formic. L. 5.*

IV.

Cæsarius refert Lib. 7. c. 30. Sacerdotem qvendam, à Vitæ sanctitate Notum, cum exorta tempestate audiret mugire tonitrua, territum ad Vicinum templum confugisse, & ante DEI Matris aram, seriò & ardentèr se à fulminè servari flagitâsse, cui Sanctissima Virgo apparuit, jussitq; ut qvotiescunq; fulgura, & tonitrua existerent, toties *Salve Regina* &c. oraret, & nihil, hac munitus prece sibi deinceps ab illis pertimesceret. V.

V.

In pluribus Novi orbis urbibus freqvens erat misera, & lamentanda populorum ruina, in qvos tonitruorum, fulgurum, fulminumq; cladibus & cædibus & vindicis DEI ira assiduò seviebat. Postqvam verò Nuncupatis *S. Josepho* Votis, suorum precibus addictus, nubium curam præpotens auxiliator ascendit; omnes tempestates, turbines & fulmina amandavit & relegavit. *Hieron. Peres in Lapidic. sacr.*

VI.

Jannes Sarisberiensis author insignis *Lib.* 1. *de nugis Curial.* c. 13. Modum refert, qvo fideles nonnulli sese contra fulmina obarmare solent, ait enim: *A signis cæli ne timueritis, qvæ timent gentes, qvia ego Vobiscum sum Domi-*

nus DE*US vester*. Hæc qvoq; verba inter tonandum, vel audita, vel dicta, ſcribuntur à qvibusdam noxam fulminis amoviſſe.

VII.

S. Antonius part. 2. Summæ Tom. 9. c. 10. refert de duobus, die feſto aviculas venantibus, qvorum unus ſacrum Miſſæ negligens, ad vocem *occide, occide,* fulmine occiſus. Alter verò qvi ſacrum audivit, ad eandē vocem: *Occide, occide*, aliam vocem è regione reſpondentem aure percepit: *Non poſſum occidere, qvia hodie ſacrificio interfuit, & audivit: Et verbum caro factum eſt.*

VIII.

S. Hedvigis Ducissa Poloniæ, corruſcationes & tonitrua tàm diù formidabat, donec accitus ali-

qvis sacerdos sacratas manus, pro divinæ protectionis Scuto Capiti ejus imponeret, qvas illa cessante tempestate pro gratiarum actione osculabatur. *In actis ejus.*

IX.

Cum jam duo socii jacerent prostrati horribili fulmine, tertiusq; audiret inter nubium Murmura horribilem vocem: iterùm feri, feri; tremore plenus exclamavit: *ô MARIA sub tuum præsidium confugimus &c.* & mox svavior auribus allata est vox: *Ferire non possum, qvia MARIA se opponit.*

X.

Venerabilis Beda. Lib. 4. hist. Anglic. c. 3. Scribit de qvodam Sancto, nomine Ceadda, qvod Cùm audiret fragorem tonitrui, procidebat in terram, & replicabat

bat verba Psalmi tàm diù: *Intonuit de cœlo Dominus & altissimus dedit vocem suam.* Donec jubente Domino, cessaret tempestas.

§. IV.

INDUSTRIÆ.

Febres varias curandi & evadendi.

I.

Spectata religione Vir *Camillus de Lellis, Sacri Ord. Ministrantium infirmis Conditor*, affirmavit se, cum febri, simulq; diissenteria laboraret, sacræ Confessionis & Eucharistiæ usurpatione aliqvoties sanatum fuisse. *In vita.*

II.

Cæsarius Lib. 7. c. 15. dicit tria Sabbata jejunare, solùm post occa-

occasum solis comedendo, valere ad repellendam febrim. Id se expertum dicit ob honorem Beatissimæ Virginis MARIÆ.

III.

Insularum, qvæ in Oriente Communi Nomine Moluccæ vocantur, indigenis omnibus Commune est, ut cùm febri vexantur, vel alia adversa valetudine, statim confugiant ad templum, aqvam piacularem bibant, & protinùs convalescant. *Thom. Bocius L. 5. de sing. Eccl.*

IV.

In Vitas. *Bernardi Lib. 4. c. 4.* Vidimus, (ait *B. Malachias Ep.*) in Maldensi territorio militem devotissimas referentem gratias Viro DEI, qvòd ad primum gustum panis ab eo benedicti, ple-

nam receperit ſoſpitatem à febre qvartana, qvâ ſic laborârat menſibus fermè decem & octo, ut in hora acceſſionis, qvaſi phreneticus nec Matrem agnoſceret ſuam.

V.

In Vita. Servi DEI *Joannis Baptiſtæ de Fulgino* legitur, qvod ardentiſſima correptus febri, timensq; vicinam mortem. (*Stimulus mortis peccatum eſt*) in ipſo febris ardore ſtatuerit accedere Confeſſarium; acceſſit, ſimulq; obſervavit, qvod eodem tempore, qvo confitebatur, febris diminueretur; ac in fine Confeſſionis totus liber evaſerit, L. 1. c. 7.

VI.

S. Vodalus, per Angelum à febri qvartana liberatus ab eodem certior

certior factus eſt; ſe contra qvartanam, ſingularem apud DEUM vim, pro ſuis Clientibus obtenturum. *P. Nadaſi ex pollando.*

VII.

Refertur in vita *S. Oſuvaldi Epiſcopi Vigornienſis* de qvodam viro potenti, qvi acri correptus febri, per nuntium viro DEI malam valetudinem ſuam indicavit, ille ergo benedictum panem ei miſit, juſſitq́; illum eo veſci cum bona ſpe & fiducia recuperandæ ſalutis. Fecit ille, ut juſſus erat, ſeq́; perfectè curatum ſenſit.

VIII.

D. *Chryſoſtomus* oblata ſibi muliere, qvæ febri admodum maligna, unaq́; pariter diſſenteria periculosè laborabat, juſſit, (in

(inqvit *Metaphrastes*) aqvam afferri, cui cùm divinum signaculum injecisset, pontifex mulieri infudit in Nomine Domini. Qvod cùm factum esset, surrexit Sana, & unà cum marito & omnibus Christum Magnificabat. *Surius Tom.* 1.

IX.

Magni valoris est B. *Salvatoris* benedictio ista: Potentia DEI Patris, Sapientia DEI Filii, Virtus Spiritûs Sancti, liberet te ad omni febre tertiana, qvartana, & continua, B. Salvatore orante pro te famulo tuo, vel famula tua. † † †.

X.

S. Gregorius Turonen. Lib. de gloria Confes. c. 82. S. Hesichio recluso hoc tribuit elogium? Qvartanariis (qvartana febri laborantibus)

ribus) tam præsens benedictio erat, ut aqvam tantùm benedictam adhibendam tribuens, continuò eos redderet Sanitati. *S. Monegundis* qvartana febri laborantibus, ut scribit idem *S. Greg. c. 24.* & ex angina gulam dolentibus datâ benedictâ aqvâ sæpiùs Medebatur. *S. Chremetis* è loco, ubi conditus est, fons aqvæ, febri qvartanæ tollendæ, plurimis salutaris erupit. *S. Euphemiæ V. M.* annuli tactu, febres fugantur. *Ann. Cæl.*

§. V.

INDUSTRIÆ.

Detractiones, Oblocutionesq́ue evadendi.

I.

Apud fideles prisci sæculi hic mos Vigebat ut aures Crucis si-

gnaculo

gnaculo contra adulationes detractiones, impudica Noxiaq́ve verba munirent. Meminit hujus ritûs *S. Ephrem. Sermo de Virtut. c. 7. his Verbis*: Despicio Consilium tuum nefarium, auresq́; meas pretiosæ Crucis signaculo obsigno, ne amplius intret in aures meas Verborum tuorum Virus.

II.

D. Chrysostomus in illud Psal 108. Pro eo, ut me deligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam: Docet Orationem esse præsidium, & inexpugnabilem murum, tutam anchoram, & portum fluctuum.

III.

CHristus Dominus *S. Brigittæ* contra lingvas charitatem lædentium suggessit remedium dicens: Si aliqvis obloqvitur alteri, statim

tim cum fieri, poteſt, qværat is locum aptum legendo Unum, *Ave MARIA* &c. B. Virginis ope, à DEO indulgentiam poſtulando *Auriemma de affect. B. V.*

IV.

Refert *Vincentius Belluacenſis in ſpec. hiſt. c. 5. L. 26. Durandum* ex Abbate Epiſcopum Toloſanum, virum cæteroqvin pium & in rebus divinis ſedulum, idcircò in purgatoriis pænis non exiguo tempore detentum, qvod ſæpius verba riſum Moventia incautè uſurpaſſet.

V.

S. Antonius dicebat: Qvi ſedet in ſolitudine & qvieſcit, à tribus malis eripitur, id eſt, auditûs, locutionis, & viſionis. Et *S. Arſenio dictum eſt*: Fuge, tace, qvieſce; hæ enim ſunt tres radices non peccandi.

VI. *Penne-*

VI.

Pennequinus Meminit Novitii Franciſcani, qvi paulò anteqvam è Vita decederet, dixit; accitum Chri- ſe ad Supremum tribunal Malaſta- ſti: Opera ſua bona & Malornm teræ fuiſſe appenſa: cre- pondus majus fuiſſe propter riſus. bra Verba otioſa, & inanes At ſe meritis CHriſti adjutum. *Iſagog. p. 3. c. 24.*

VII.

B. *Veronica* Vidit in inferno Lingvam illius qvæ lingvæ ſuæ frena laxaverat, in igneo Vaſe bullire. *Tolland. 13. Jan.*

VIII.

S. Ephrem. Syrus Ser. parenet. de 2. advent. inqvit: Si aliqvi te derideant, aut deprimant; tu noli attendere iis, ſed dicito: Dignus ſum qvi illudar; nam & Dominus

minus meus illusus est, odioq; à Diaboli discipulis habitus.

IX.

Charitas (*ait Pazius Tom. 2. de Vita Spirit. L. 3. p. 3. c. 25.*) est Clypæus animæ. *Et paulò post:* Hoc Clypeo nos protegamus, qvo Muniti nec curabimus Malevolorum opprobria, nec audiemus convitia, nec sentiemus injurias.

X.

Albertus Cranz. Lib. 2. Metrop. c. 18. Scribit de incurabili lingvæ tumore, Vindicantè fortè DEO loqvaciùm lingvarum Venena, Litaniis tamen & jejunio sanato.

§. VI.

INDUSTRIÆ

Necessaria qvæcunq; obtinendi.

I.

P. Alexius de Sale ex Ord. Capucci-

pucciniorum, *de se* ipso confitetur
ingenuè in Libro, qvem *Trium-*
phum animarum, inscripsit; Unam
ex Singularibus devotionibus su-
is hanc esse, qvâ uti soleat, cum
qvippiam vel pro se, vel pro aliis
arduum impetrare desiderat: ut
Nimirum qvinies precem Domi-
nicam cum Angelica Salutatio-
ne, expansis brachiis pro fideli-
bus defunctis precetur: exper-
tumq; à DEO peculiares favores,
& gratias, tàm pro se, qvàm pro
aliis. Et qvod admirandum ma-
gis; se in suis necessitatibus, &
summis angustiis perfugium ad
has animas habere, in iisqve
procidere ingenua, & mente pur-
gatorium percurrere, DEI au-
xilio, per illarum patrocinium
implorata nec frustrari unqvam
desiderio votisq; suis. De Psalmo:
De profundis, tama est, qvod cen-
tie

ties pro animabus Purgatorii piè qvotidie recitatus, Miram vim habeat ad impetrandum id, qvod alio ex capite impetrari à DEO non repugnat. *P. Nadasi.*

II.

S. Bernardo oranti dixit Christus: vulnus, qvod in humero passus est à bajulatione Crucis, fuisse dolorosissimum, addiditq;: qvi per hujus Sancti vulneris reverentiam, à se qvid salutiferum petierit, obtenturum.

III.

Balthazar Alvares S. Theresiæ Confessarius ajebat: Excelsum & compendiosum omnium nostrarum necessitatum remedium est, diligere DEUM, & procurare diligentèr illi placere. *Vita c. 25.*

IV.

S. Joanni de Matha, Fundatori Ord. Ss. Trinitatis pro redempti-one

one captivorum, DEI para Vir-
go, non semel tantùm auri sup-
peditavit, qvantùm necessariùm
erat ad captivos ab infidelium ty-
rannide redimendos. *S. Petro Tho-
masio* de pecunia necessaria pro-
vidit. *S. Adelcheidis* meritis aucta
est pecunia pauperibus destina-
ta. *Ann. Cal.*

V.

S. Theresia Virgo Lib. Vitæ suæ c. 6. ait: Significare vult DEUS omnibus, patrocinium Sanctissimi *Josephi* implorantibus, qvod sicut ipsè in hoc mundo vivens factus homo, voluit subditus esse Josepho, & ejus obedire mandatis, ita etiam in cælis ad dexteram Patris gloriosus existens, nihil ei pronobis interpellanti negat, qvinimò liberalissimè omnia concedit.

VI.

Si ſæpè ac attentè *Litaniæ DEI paræ* dicantur, qvid libet à Virgine impetratur. Hinc ortum habuit vox illa, Romæ olim trita: *à Lytaniis Prædicatorum Libera nos Domine.* Earum enim uſurpatione à B. Virgine ſucceſſum felicem in maximi momenti negotio ſunt conſecuti: *Ann. Marian. B. Joanna Carmelitana*, modum excogitavit, omnia qvæ vellet à DEI Matre impetrandi. Videtur qvidem labor moleſtus; ſed illa nihilominùs in ſe ſuſcepit: videlicet decies qvinqvies mille *Salutationes Angelicas* dicebat, qvarum cuilebet centies *Salve Regina*, ſubnectebat: ad finem harum precum ſepties *Ave Maris ſtella*, vel *o Glorioſa Domina ſubjunxit.* Idem:

VII.

Mancinus meminit mercatoris, qvi ætate noſtra, cum ſuas merces ob turbidorum temporum infelicitatem vendere per annos plures non potuiſſet; intra ſeptimanas aliqvot omnes vendiderit (tametſi plurimorum millium ſummam excederent) poſtqvam animabus purgatorii ſpopondit ſe inſignem aliqvem Miſſarum numerum celebrari curaturum ubi merces diſtraxiſſet, atq; à periculo foro cedendi evaſiſſet. *D. paſſion L. 9. diſſer. 2.*

VIII.

Leontius in vita S. Joannis Eleemoſynarii refert de duobus fratribus Alexandrinis, qvorum unus qvotide in ſacrificio Miſſæ Chriſtum adorabat, & modico labore, licet cum paupercula Uxore, licet cum paupercula Uxore multos filios genuiſſet, ad pro-

gi-

gium usq; singalari DEI benedictione locupletatus est: alter negligens Cultum Christi in hoc Mysterio, tametsi dies noctesq; laboraret, Cum maximo, qvod per Uxorem acceperat patrimonio, ad extremam inopiam est redactus.

IX.

In Persia, Christianorum Episcopus, Castrum qvodam ingentibus auri argentiq; & gemmarum thesauris refertum, sed à Dæmonibus insessum & occupatum, ut nullis, neq; Iudæorum, neq; Magorum incantationibus fugari possent, Cùm Crucem in aëre, contra arcem expressisset, illicò dæmones exterminavit, & Coadi Persarum Regi aditum ad arcem aperuit, incredibili Christianorum bono & incremento. *Cedren in Anast.*

X.

Jodocus Andries è Gratiano Meminit *Christophori de Sandoval*, qvem Lovanii expensæ defecerant. Post fusas in templo pro defunctis preces, vix à precando surrexit, cum obvius liberali forma juvenis (Christophoro interea cohorrescente) ei narravit qvædam de *Marchione* Christophori Patre, aliisq; domesticis. Et Christophoro ad prandium invitato, ac perbenè habito, interea in ejus manū aureis plenâ manu, dixit; *id ei à Marchione Patre mitti.* Sed rescifcere non potuit ecqvis fuerit ille invenis. *Supplicis Libell. c.* 1. B. Catharina Bononiensis dicebat: Qvando Cupio ab æterno Patre gratiam àliqvam impetrare, recurro ad animas in Purgatorio existentes; ut meo nomine apud ipsum legationem fungan

fungantur, atq; interuentu earum me exaudiri sentio. Acta Sanctor. 9. Mart.

§. VII.

INDUSTRIÆ.

Dæmones infestantes fugandi.

I.

Abbas Isaac dixit: Hic versiculus: *DEUS in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina*, omnibus infestatione dæmonum laborantibus, inexpugnabilis murus est, & impenetrabilis lorica, ac munitissimus Clypeus. *Cassian. Coll.* 10. In vita *S. Ludgardis* fertur Sancta illa vidisse Dæmones, qvi ad illa Horarum Canonicarum verba: *DEUS in adjutorium meum intende*, reli-

giosè pronuntiata, perterriti fugiebant.

II.

Dixit qvidam Patrum, Credite mihi filioli, nihil ita perturbat, & concitat, & irritat, vulnerat, & perdit, atq; contristat, & contra nos commovet dæmones, sicut perpetua Psalmorum meditatio. Nam omnis qvidem divina scriptura utilis nobis est, Contristatq; non mediocritèr dæmones, non tamen ita sicut Psalterium. Psalmus 67. *Exurgat DEUS, & dissipentur inimici ejus &c.* tantæ est Virtutis, qvod ex ejus Continuatione, qvædam personæ ipsum omni die cum fide dicendo & devotione, à dæmonio fuerunt liberatæ. *Felisius Inst. Christ. Elucid. Dist. 8. c. 13* *B. Petr. Damiani Cardin.* Dæmonis meminit, qvi cum amita L

on

onis Papæ Horas Canonicas recitans, hæsit ad illos versus: *Exurgat DEUS & dissipentur inimici ejus &c.* Neq; illos pronuntiare potuit; & agnitus, ad signum Crucis evanuit. L. 6. ep. 21.

III.

S. Petrus ait 1. Petr. 4. *Christo passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Ubi observandum, Apostolum non dicere: eadem Cruce; sed Cogitatione, qvia, ut notat *Hugo Card.* Sola memoria & cogitatio Passionis & Crucis Christi, maxima est fortitudo, & arma contra dæmonis potentiam. *Julianus Apostata*, metu spectrorum diabolicorum, qvæ ipsi apparebant, in spelunca cujusdam fani, qvod augurii gratia subierat, S. Crucis signo omne phantasma in

momento fugavit. *Theodoret.* L. 3. c. 3. *Hist. Trip. Thomas Bozius* testis est L. 5. *de signis Eccl.* Occidentales Indos à dæmonibus mire varieq; exagitatos, qvàm primùm ligneæ Cruces in eorum oppidis & pagis erectæ fuissent, illicò ab omni molignorum hostium infestatione liberatos.

IV.

Narrat *Cæsarius Lib.* 11. *c.* 38. Adjuratum dæmonem à Thoma qvodam sancto Viro ord. Cister. Jam morituro adstantem, & interrogatum: Qvid sit qvod illis omnium maximè noceat? dæmonem respondisse: *Nihil est qvod vires nostras adeò enervet, qvàm integra & sincera Confessio.* Bernardinus de *Bustis* refert Dæmonem ex obsesso allocutum qvendam Confessarium: Tu multas audis Confessiones, sed certò

scias,

ſcias, multos, & præſertim fæminas, reticere omnium graviſſima peccata ſua: Et hodie capies experimentum. Veniet ad te talis Matrona, qvæ toties in anno Confitetur, ſed non integrè. In reditu ſuo, cùm tranſibit pontem, ego eam in fluvium projiciam, & necabo, & ſic animam ejus poſſidebo. Venit Mulier, Confeſſarius aperit ei dicta diaboli. Territa illa Conteritur, & omnia peccata, qvæ antea ex verecundia ſubticuerat, integrè Confitetur. Juſſit itaq; ſacerdos, eam ſinè timore pontem tranſire. Occurrens Dæmon in obſeſſo à Confeſſario interrogatus de muliere illa Tunc Dæmon: Tu mihi eam eripuiſti: jàm eam ampliùs non Novi, nec qvænam ſit, ſcio. *Tom. 1. Ros. ſer. 34.*

V.

DEUS Pater S. Catharinæ Se- nen. Dixit, uti apud Blosium c. 1. Monil. spir. Videre est. MARIÆ Unigeniti Filii mei gloriosæ Ge- nitrici, à bonitate mea conces- sum est propter Incarnati verbi reverentiam, ut qvicunq; etiam peccator ad eam de vota vene- ratione recurrit, nullo modo decipiatur à dæmone infernali. Hoc est expertus Nobilis qvidam Vir, qvi qvotidie constanter di- vinæ Matri & S. Joanni recitabat illam Orationem: ô Intemerata &c. Fassus est enim Dæmon, se illi per annos plures servivisse sub famuli persona latentem; ut eum posset occidere. Ne de navi præ- cipitaretur in aqvam, detentum fuisse funiculo candido de cælo demisso: aliasq; defensum. Di- xit hæc Dæmon Episcopo, & vi- deri

deri desiit. *Joan. B. Matthiolus Sylvæ hist. L. 4.*

VI.

Hæc fortassis causa est, qvod Ss. Sacramentum conservetur in tabernaculis, qvæ sunt tentoria militaria, ad denotandum nobis, qvod ab inimicis invisibilibus nos protegat ac defendat. *Hugo de S. Victore Tom. 3. in spec. Eccl. Erud.* Inqvit: hoc Sacramentum firmamentum est Contra hostes, de qvo Propheta: *Parasti in conspectu meo mensam adversùs eos, qvi tribulant me. B. Laurent. Justin. de inter. Conflic.* Sic discurrit: Qvemadmodum fluit cera à facie ignis; sic Dæmonum argumenta pereunt ab invocatione Ss. Nominis JESU, & mediatoris Nostri.

VII.

S. Hubertus Episcopus Leodinen-

ſis, cùm Nocte qvadam ita à diabolo infeſtaretur, ut omninò dormire non poſſet, allatâ aqvâ benedictâ, ubi ſe aſperſiſſet, ita effugabantur inimici, Virulenta phantaſmata, ut non amplius auderet ſua inferre machinamenta. *Surius in vita. Fridericus Homerus Tom. 3.* ſcribit Arcem egregie Munitam, à dæmonibus miriſicè exagitatam, in qva ſex homines exigui temporis ſpatio, Variis caſibus Dæmonis operâ, è medio ſublati erant, aſperſione Sacratæ lymphæ, adhibitis Eccleſiæ conſvetis precibus & exorciſmis, protinus ab omni Sathanæ inqvietudine ſe vidiſſe tranqvillatam.

IX.

In vitis Patrum *Lib. 5. n. 58.* interrogatus Senex, qvare ita impugnaremur à Dæmonibus? reſpondit: Qvia arma noſtra abjicimus,

cimus, *humilitatem*, *paupertatem*, *& patientiam.* In vita *S. Afræ*, Dæmon negavit se esse ibi posse, ubi Castitas regnaret, atq; attenta Oratio. *Gvalterus Ord. Prædicator.* Infestum Castis corporibus & animis dæmonem vidit, & non semel fugavit salutatâ DEI para, & illis potissimùm verbis. *Benedictus fructus ventris tui.*

X.

Ad expellendos Incubos & succubos à personis, qvæ contra suam voluntatem ab eis vexantur, remedia Ecclesiæ sunt hæc: 1. Per Confessionem. 2. Crucis consignatione, Angelica salutatione. 3. Per Exorcismorum applicationem. 4. Per vocis mutationem. 5. Per Excommunicationem seu maledictionem, male dicendo Dæmonem, ne tractet cum tali muliere, sicut fecit S.

Bernardus, qvi excommunicavit Incubum, & ſic eum expulit. *Niderus Citus a Malleo Malefic. p. 2. q. 2. c. 1.* Ibidem narratur, qvod qvædam puella ab Incubo oppreſſa translata fuit à ſuo patre, qvi erat Clericus in longinqvam Civitatem, & Incubus ampliùs eam non eſt proſeqvutus, ſed dictum patrem ita proſeqvutus fuit, ut intra tres dies è vita diſcederet.

§. VIII.
INDUSTRIÆ
Ægritudines Varias curandi, & evadendi.

I.

Thomas à Cava vinea ex Ord. Capuccinorum Notæ virtutis Sacerdos, inter reliqva incenſæ charitatis officia, qvibus de proximo benè mereri conſveverat, in charta

charta ſolebat Ss. Nomina JESU & MARIÆ conſcribere, iisq; qvi aliqva ægritudine laborarent, diſpertiri, qvos his verbis hortabatur: *Fili, habeto fidem, Nomina hæc in cælo & in terra potentiſſima ſunt; ſi fidem habueris, te procul dubio ſervabunt.* Tot autem variis langvoribus correpti, his ſanctis Nominibus ſanati ſunt, ut confluerent ad eum Univerſi. *Ita Zachar. Boverius Tom. 2. Annal. Ord. ad an.* 1588. n. 38. *S. Hedvigis Ducisſa Poloniæ* B.V. MARIÆ parvam imaginem apud ſe ſemper ferebat, eaq; imagine cum interdùm benediceret langvidis illicò curabantur. Officium B. V. MARIÆ devote perſolvens præcipuè *Magnificat*, S. Anſelmus ſanitatem, alius felicem mortem obtinuêre. Pelbart.

II. Qvi-

II.

Qvidam Vir ex pago *Polembara* correptus morbo, nec die Noctuq; qvietem habebat, nec remedium reperiebat; *S. Philippus Nerius* nonnisi Confessionis suggesit ei Medicamentum, & Liber evasit & Sanus; qvòd cum alii eodem loco oriundi intellexissent, venerant Romam supplicantes sancto, ut & ipsis veluti primo, Sanitatem imperti ret: super ægros Manus imponebat, & benè habebant. *In Vita.*

III.

Refert. *Franciscus de Ossuna Lib. de Vuln. Dom. c. 5.* Solitam in Hispania Missam celebrari pro infirmis de Vulneribus seu Passione Domini, pluresq; Sanctissimo hoc Sacrificio valetudinem recuperasse.

IV.

S. Blasius Episcopus puerum, cujus gutturi spina piscis infixâ hæserat persanavit, cui pro iis, qvi eum invocarent, oranti, respondit Christus: Omnia se ab illo petita facturum. Invocatur verò dicendo: *Blasius S. Martyr, & servus JESU Christi, jubet, ut abscedas, & subsidas.* P. Barri.

V.

Edinerus Anglus, scribit in vita *S. Anselmi*, qvendam ex Principibus Angliæ, omni membrorum officio destitutum, deductum ad Ecclesiam, in qva *S. Anselmus* Missam celebraturus erat, cumq; post elevationem Sacram Hostiam adorâsset, ex nunc sanitatem, magno omnium stupore consecutum.

VI.

Philo de opific. Mund. ait; Immodica

dica Ciborum congestio, est lethifera naturaliter. *S. Chrysost. Hom. 10. in Gen.* inqvit: An non videtis qvotidie ex sumptuosis mensis, & immodica ingluviæ, infinita morborum genera induci? Unde capitis dolores? unde corruptorum abundantia? Unde innumeri alii morbi? Nonne ab intemperantia, & largiori, vini ingurgitatione, qvam oportet? Vis his liberari? arripe jejunium hoc enim tollit morbos, adjicit vitam.

VII.

Venerab. Beda. Lib. 5. Hist. Anglic. c. 4. an. 721. Narrat B. *Joannem Episcopum Eboracensem* Misisse mulieri infirmæ de aqva benedicta, qvam in dedicationem Ecclesiæ consecraverat per unum, ut gustandum illi daret: & ubicunq; maximum ei dolorem inesse

ſe didiciſſet ; de ipſa ea aqva lavaret. Qvod ut factum eſt, ſurrexit ſtatim mulier ſana & Valida.

VIII.

S. Anaſtaſia Senior Virgo, DEUM pro felici Martyrii Conſummatione, & pro iis ægris, à qvibus aliqvando in vocanda eſſet, precata, vocem è cælo audivit dicentem, eam petita omnia impetraſſe. *Ann. Cal.*

IX.

S. Mechtildis gravi dolore capitis afflicta in meditatione Lateris vulneris, ſvadente Ghriſto, omni dolore liberam ſe ſenſit. *L. 2. grat. ſpir.* Aqvæ benedictæ remedio & aſperſione *S. Malachias Hiberniæ Epiſc.* fæminam phreneticam, & mulierem cancro exeſam, fædo ſane ſpectaculo, reſtituit ſanitati: *In vita ejus.*

X. *S. Fran-*

X.

S. Franciscus de Paula, mutum puerum & ſurdum, ter JESUM pronuntiare juſſit, & perſanavit; ac dixit: ſcias dulciſſimum Nomen JESU puriorem Tibi linqvam, & loqvelam clariorem rediddiſſe, qvàm Carbo ille ignitus, à Seraphim forcipe ex altari ſuſceptus, labiis Iſaiæ Prophetæ. Exulta igitur & reverere Nomen Sanctum ejus: & cave ne turpibus, aut otioſis verbis lingvam iſtam unqvàm inficias. *Opuſc. c. 8.*

§. IX.
INDUSTRIÆ.
Latrones avertendi, & res amiſſas recuperandi.

I.

S. Coleta per iter Litaniis Sanctorum recitatis, Latrones mirè placavit: intellectâ etiam divini-

divinitùs peregrinâ eorum lingvâ: evitavit pudicitiæ suæ paratas insidias, eqvis eorum immotis redditis ad accedendum, celeribus ad abscedendum. *Bolland. 6. Mar. in Vita.*

II.

Refert *Trithemius in Chronic. Monaster. Hirsau. An. Dni.* M. C. LVII. Pia mulier Latrones in via obvios, oratione ita constrixit, ut se movere de loco, vel manus in eam mittere nullatenus possent.

III.

Domiciliorum ostia Sanctorum Trium Regum imaginibus munita, fures nocturnos arcent. *Crombach.*

IV.

S. Hieronis Mart. Apostoli Frisiorum, implorato Nomine, res furto ablatæ, vel alias amissæ, mirifi-

mirificè reperiuntur. Idem præſtat D. *Antonius de Padva.*

V.

Cantico, *Magnificat &c.* Novies recitato, amiſſam magni Momenti rem Prorex invenit, qvam artem illum docuit B. Ludovicus Bertrandus. *Ann. Cal.*

VI.

Fridericus Fornerus Epiſc. Hebronen. Tom. 2. Ego inqvit: ab Avia mea materna, pia Catholiciſſimaq; fæmina, hæc ſacroſancta verba uſurpare didici: *J E-SUS Nazarenus Rex Judeorum, Titulus triumphalis, liberet me ab omnibus malis. Sancte D E U S: Sancte Fortis, Sancte & immortalis, miſerere nobis.* Qvin etiam in omni ſubitaneo & adverſo caſu, nunqvam non ejus mirabilem Virtutem & efficaciam ſum expertus.

VII.

VII.

S. Brigitta à B. Virgine MARIA, jussa est Hymnum: *Ave Maris stella &c.* Qvotidie domi cum suis palàm recitare, & promisit B. Virgo se illius domûs curam habituram. *P. Kisel. in Append.*

VIII.

Leo Imperator, qvoties cum hoste manus Conserendæ erant; milites omnes aqvâ benedictâ Conspergi jubebat. *In Tacticis c. 14.*

IX.

B. Dorotheus, Oportet, inqvit, cum Contrarii impetus Tibi subeunt opprimentes te, ad DEUM clamare: Domine, sicut vis, & sicut nosti, gubernà negotium. *Inter Eplas post doctr. 24.*

X.

P. Antonius Bernalius Soc. JESU Religio-

Religiosus, dùm è collo suspensum Numisma stanneum, cui Sacrum MARIÆ Nomen inscriptum erat gestaret, certam mortem, qvam illi explosa jam glande Barbari destinârant, ejus interpositu evasit, *Lyraus Trisag. Marian.*

§. X.

INDUSTRIÆ.

Tempestatem, siccitatem, sterilitatemq́ avertendi.

I.

S. Eurosiæ V. Mart. Sub ipso gladio mortem expectanti, cælestis vox, veni, ajebat, electa sponsa Christi, accipe Coronam, qvam Tibi DEUS præparavit. Qvotiescunq; pro pluvia, vel contra tempestatem, à Christi fidelibus piè fueris invocata, in tuo

Nomine

Nomine ipſorum Oratio exaudietur. *Vita*.

II.

Patres Ord. Prædicat. religioſè ac ſæpius recitatis *Litaniis Sanctorum*, ingentem procellam discuſſerê, qvæ illis tunc imminebat: Nato etiam Romæ proverbio, illas mira operari. Viſam tunc ajunt & auditam DEIparam eas offerentem Filio ac dicentem: *O Fili, exaudi eos!* ô Fili, exaudi eos! & exaudita eſt. *Balingem*. Kalend. *Mar*.

III.

Palmæ & Olivæ benedictæ in Dominica azimorum, poſitæ ſupra arbores in modum Crucis, fugant Demones, & tempeſtates, & ſervant fructus illæſos per Virtutem datam benedictionibus. *Malleus Malefic. p. 2. q. 2. c. 7.*

IV.

Sub annum Domini 676. in Italia tantæ pluviæ & tonitrua fuerunt, qvales nulla ætas hominum memorat, ut etiam homines & pecuaria fulgure interirent, quæ tamen *Litaniis* qvotidianis sedata fuit, *Sigebert. Chronic.*

V.

Qvoties hianti præ siccitate terra, frugibus pænè emortuis *S. Josephi* patrocinio ad Sacra ejus limina & aras implorato, pluviam tempestivam & opportunā novus orbis adeptus est, toties de munifico assumpto patrono hilaris & gratulabundus gloriatur. *Lapidina Sacra. Trac.* 1. *sec.* 24.

VI.

S. Jacobum Apostolum cognomento justum, expansis manibus orantem, cum pestilens siccitas urgeret

urgeret, pluviam impetrasse, Epiphanius est author *Heres.c.8.*

VII.

Contra siccitatem, solet invocari S. *Follianus*, cujus Corpus in oppido Fossensi reqviescit, & cum siccitas vastitatem minatur frugibus terræ, solet celebri populorum Concursu per agros deferri, qvia ejus beneficio pluvia terris data est sæpius. *Vita ejus.*

VIII.

D. Gregorius Lib 2. Dial. c 33. tradit, qvomodo *S. Scholastica* orando pluviam tempestatemq; impetraverit.

IX.

Sigebertus in Chronico de Cochlearum, & liniacum, ac murium sementes passim populantium, ingentibus turmis refert, haud alio medio, qvam aqvâ benedictâ fugatis ac propulsatis.

X.

S. Parthenius Episc. Sale benedicto, Vineæ ſterilitate depulſa, Copioſiſſimum præter ſpem omnem, vini proventum induxit, *Surius Th.* 1.

§. XI.

INDUSTRIÆ.

Peſtem famem & Bellum evadendi.

I.

Miſericordia protegit nos à peſte, fame, & bello, juxta illud Pſal. *Beatus qvi intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala,* (id eſt, in die mali, vel afflictionis, ut vertit Symmachus) *liberabit eum Dominus.* Qvo loco, mali, Nomine, intelligit *Monrigus* tria illa mala, qvorum data eſt Davidi optio, ut eligeret unum qvod vellet; aut famem ſeptem

annorum

annorum, aut trimestrem inimicorum persecutionem; aut triduam pestilentiam.

II.

B. Philipus Confessor, cum Religiosos suos fratres fame premi videret, coram B. V. imagine oravit, & mox reperit divinitus ad januam duos Cophinos candissimorum panum. *Balingen. Kalend. B. V. 22. Aug.*

III.

S. Eligius aurifaber, postea Episcopus factus, post mortem duobus se spectandum præbens, per eos sodalitatem sub charitatis Nomine instituit; è qva sodalitate, qvisqvis ex charitate servit peste contactis, nunqvam peste abiis, qvibus servit, inficitur, qvantumvis illos tractet, atq; sepiliat. *Ann. Cal.*

IV.

B. *Eustochium V. Ord. S. Claræ* peste correpta erat glandula in gutture nata, certissimo lethalis morbi signo. Rogat itaq; Sanctissimum ad se deferri Sacramentum, qvod ut cordis sinu recepit, evanuit glandula, subitoq; convaluit ab infirmitate. *Wading. in Annal.* 1491.

V.

Scribit *Pelbartus de Themeswar Lib. 6. stellar. part. 1. §. 8.* Novisse se adolescentem, qvi cum se peste correptum, ac maligno jam premi carbunculo sentiret, novem vicibus sacro MARIÆ Vocabulo invocato, ulceris locum consignavit, qvo facto malignitas omnis dissipata fuit, ac tutas omnis dissipata fuit, ac tuberculum magno præsentium stupore subsedit. Gonzaga in Provin. Portugal. com. 8. Moria scribit

ſcribit contra peſtem valere ex revelatione Antiphon: *ſtella cœli extorpacit &c.*

VI.

Dùm tempore *D. Gregorii* circumferretur imago B. Virginis MARIÆ, audita eſt vox Angelorum canentium: *Regina Cœli Lætare Alleluja.* Et Corruptiſſimus aër omnes inficiens lue peſſima, ſtatim diſſipatus eſt.

VII.

Nicephorus ſcribit Lib. 18. hiſt. Eccl. c. 20. Turcas, qvos Chosroe Perſarum Rex Conſtantinopolim miſerat, ſtigmaticos, liqvato atramento, Cruces in frontibus impreſſas, Imperator habere videns, interrogavit, qvanam gratia, qvæ non colerent circumferrent ſigna? Illi peſtem coortã eſſe dixerunt, à qvà cum multi mortales interfecti interirent.

Christianos qvosdam, qui ibi fuère hominibus si hoc fecissent, saluti suæ Consulturos esse, regionemq; illam à lue tali intactam liberamq; fore, persvasisse, effectumq; illicò consecutum.

VIII.

Luem contagiosam in Civitate Trevirensi horrendissimè sævientem, omniaq; late populantem, *S. Wilibrordus*, salutari oblata victima fugavit, aërem purgavit, & qvotqvot infecti erant, eodem Alexipharmaco pristinæ sanitati restituit, *Alevinus in Vita ejus.*

IX.

S. Lutgardis Virgo, ob Monialium in precibus persolvendis negligentiam, pestem, postea cohortam prædixit, cumq; illæ orarent attentiùs, pestis cessavit, id qvod prædixerat. *Ann. Cal.*

X.

D. Gregorius Lib. 1. Dial. c. 9. Scribit de Bonifacio adhuc parvulo puero, qvi oratione horreũ tritico implevit. *S. Auberto* esurienti B. V. MARIA apparuit, eiq; panis buccellam in os dedit. *Balingem.*

§. XII.

INDUSTRIÆ.

Peccata evitandi, & illa extirpandi.

I.

Religiosus qvidã Nativitati JESU Christi peculiari studio devotus, ultimùm æger, & supra modum gestiens ex revelatione Angeli sui Custodis cognovit, se eadem solennitate nati Christi feliciter moriturum, & abiturum ad fruendam æternâ gloriâ, per merita sacratissimæ Incarnatio-

nationis suæ abstersis penitus peccatis. *Et duo vobis, Fratres mei,* (verba sunt illius) *qvod, qvi cum affectu meditatus fuerit, semperq; Corde alto Condiderit beneficium, qvod in hac Nativitate nobis fecit DEUS, mortalitèr peccare non poterit; semper DEI gratia firmabitur: neq; Dæmoni illa super eum potestas permittetur.* Prati flondi L. 2. c. 16. n. 1.

II.

Dionysius Carthusianus ex mente *S. Augustini de Reformat. claustral. ar. 6. ait:* Qvi ad vitandum peccata Venialia non extat solicitus, nunqvam diu esse sine peccatis mortalibus potest.

III.

De Nomine Ss. Virginis MARIÆ, sic B. *Brigittæ* DEI ac Virginis Filius legitur esse locutus. *Lib. 1. c. 50.* Omnis qvicunq; invoca-

vocaverit nomen tuum, & ſpem habet in te, cum propoſito emendandi commiſſa, hæc tria dabuntur ei: *Contritio de peccatis, ſatisfactio pro eisdem, & fortitudo ad facienda bona.*

IV.

D. *Auguſtinus* ſcribens ad Eremitas ait: Per jejunium proſternuntur vitia, augmentantur virtutes, humiliatur cor, diabolicæ vincuntur poteſtates. O ſacrū jejunium! tu Corpus refrenas ne inſurgat, tu virtutes incitas ut reſurgant, tu Corpus ſanas ut vivat. Eſt *Leo Papa ſer. 8. de jejun. ait*: Per jejunium & abſtinentiam univerſa vitia deſtruuntur, & qvidqvid avaritia ſitit, qvidqvid Luxuria concupiſcit, hujus Virtutis ſoliditate ſuperatur.

V.

S. Iſidorus Lib. 3. de ſum. bon. c. 8

ait : Hoc est remedium ejus, qvi vitiorum tentamentis æstuat, ut qvoties qvolibet vitio tangitur, toties Orationem subdat; qvia freqvens Oratio impugnationem vitiorum extingvit.

VI.

D. Bonaventura Ser. 5. in Rogat. dicit : Per Confessionem liberamur à malo Culpæ & miseriâ gehennæ. 1. Joan. 2. *Si Confiteamur peccata Nostra, fidelis & justus est, ut remittat Nobis peccata Nostra, & emundet nos ab omni iniqvitate.* O qvàm stultus esset leprosus, qvi se propriis verbis curare posset, & non faceret? Et certè peccator leprosus est coram DEO & Angelis, qvi propria Confessione curatur, & qvandoq; desiderio confitendi.

VII.

S. Joan. Damascenus de octo passion

passion. ait: Turbæ vitiorum Universæ resisti poterit, si semper & assiduè cogitaverit, DEUM operum suorum inspectorem, Angelum Custodem, virtutis nobilitatem, Voluptatem Momentaneam, peccati spurcitiem, Vitam labilem, mortem incertam, gaudiùm seu Cruciatum sempiternum, puræ conscientiæ pacem, hominis dignitatem, DEI beneficium, & super omnia Christi Vitam, Mortem, & Crucem. Qvæ enim & qvalis Vita, si vix homo ex sepulchro progressus, rursum ad sepulchrum pergat, & demùm in perpetua gehennæ flamma se sepeliat.

VIII.

Angelus docuit *Franciscam. Vacchiniam. Ord. Prædicat.* ut mane inter surgendum recitaret ter *Ave MARIA &c.* ut B. Virginis

ope, ab omni etiam veniali peccato liberaretur. *Auriemma de affectu B. V.*

IX.

S. Augustinus ad Fratres in Erem. inqvit: Magna est pietas DEI qvæ sola compunctione peccata dimittit. Plus placet DEO cordis contritio, qvam totius Mundi peregrinatio. *S. Mechtildi Christus dixit:* Hoc mihi maxime desiderabile est, ut peccator per veram pænitentiam ad me convertatur & vivat *Spirit. grat. Lib. 4. c. 16.*

X.

Seraphinus Razzius, meminit hominis obstinati, qvi rogatus, ut inimico suo amore DEI ignosceret, respondit: se nec DEI nec diaboli Nominè id facturum. Pius qvidam Religiosus hominem accessit, & ejus fronti, ceu tabu-

læ titulum Crucis digito inſcripſit: *JESUS Nazarenus Rex Judæorum.* Mirum! ille mox è Leone, agnus manſvetus, ignovit. *Hortuli Halit. Exemp. 8. de Nomin. JESU.*

XI.

Toletus Cardin. Lib. Inſtruc. ſacerdot. 5. c. 13. inqvit: Ad vitium extirpandum voluntariæ pollutionis vix puto eſſe aliud efficax remedium, niſi freqventiſſimam Confeſſionem coram uno eodemq; Confeſſario, ut fiat ter in hebdomada, ſi fieri poteſt: eſt enim hoc Sacramentum maximum frenum: & qvi hoc non utitur, non ſibi promittat emendationem, niſi per miraculum à DEO factum; aut rariſſimum privilegium. Tam autem eſſe Univerſale ait hoc Vitium, ut nulla alia ex cauſa arbitretur plures ad inferos devolvi.

§. XIII.

§. XIII.

INDUSTRIÆ.

Luem, & alios morbos brutorum avertendi.

I.

In S. Bernardi vita, hæc leguntur: Non modo hominibus, ſed etiam pecoribus, freqventer & armentis, ejus ſalis benedictio profuit, ut monaſterii ſui cellarium durè aliqvando increpârit, qvod ſibi non indicans mori animalia permiſiſſet, unde fuerant Chriſti pauperes ſuſtentandi. Dehinc ut ſolitus erat, benedixit ſalem, & animalibus juſſit apponi, & protinùs Lues orta ceſſavit. *Guiliel. Abb.*

II.

In metropoli Ancyranorum, magna lues in homines armentaq; deſeviebat, Cives rogave-

runt

runt *B. Theodorum*, ut pro illis oraret, qvod cum ipſe feciſſet, à peſte ipſos liberavit. Aqvam præterea benedixit, qvâ Conſpergebantur armenta, & libera erant.

III.

Tityrus Chriſtianus apud ſeverum Rhetorem ſigno ſanctæ Crucis, à peſtilentia ſervatas pecudes aſtruit his verſibus: *Hoc ſignum mediis frontibus additum, Cunctarum pecudum certa ſalus fuit.* In Bucol.

IV.

Theodoretus in hiſtoria religioſa ſcribit *Aphraatem Eremitam*, eqvum Valenti Imperatori chariſſimum, à morbo incurabili, potu aqvæ benedictæ ſanaſſe. *S. Columba Abbas ſcotus*, bovem exitio proximum, benedicta abs ſe aqva perfudit, & ſanitate illicò donavit

donavit. *Adaman. L. 2. ejus vitæ S. Patricius* eqvum jam mortuum, aquâ lustrali aspergens, ad vitam protinùs revocavit. *In vita ejus.*

V.

Stanislaus Vach Civis Colensis, currum panno nimis oneratum, sex trahentibus eqvis ducebat: dumq; propè villam Dobrovo ubi Corpus *S. Bogumili Archiepiscopi Gnesensis* qviescit, pergeret, unus eqvorum pressus onere occubuit; cui postqvam illicò fecit detrahi corium, muneris locò illud Ecclesiæ Dobrovensis sacerdotibus obtulit, petens ut sanitatem reliqvorum *Sancto Bogumilo* commendarent; ipse interim flexis ad sepulchrum ejus genibus, DEI, protectionem incæpto itinere per merita S. Præsulis implorabat: dùm finita oratione digreditur ab Ecclesia, eqvus ille

le (mirum dictu) ad fores templi adstitit hinniens, qvem Dominus actis DEO gratiis lætus recepit, junxit currui, viam feliciter prosecutus est. *Vita ejus.*

VI.

Qvando Canes mordent alios Canes, vel homines, ex illoq; veneno alius etiam rabiem contrahit. In Hispania sunt aliqvæ imagines, qvæ habent Virtutem sanandi homines & bestias ex hac infirmitate, ut in Episcopatu Coqvensi est monasterium *S. Bernardi*, qvod vocatur (*Demonsalud*) & ibi omnes isti, qvi intra novem dies, à principio infirmitatis adorant imagines B. Virginis MARIÆ, & unguntur oleo ex ejus lampade, sanantur ab hac rabie, & infirmitate. Et etiam sunt homines in Hispania, qvi vocantur salutatores, & anhelitu,

helitu, oratione, & benedictione Sanant homines, & omnia alia animalia ab istis infirmitatibus, virtute occulta illis à DEO concessa, & isti permittuntur, & ducuntur de loco in locum, ubi necessitas postulat. *Ita Hieron. Venerus in Examine Episcopor.*

VII.

Simon Magus per suam artem Magicam produxerat canes Magnos coram Nerone Imperatore ad devorandum *S. Petrum Apostolum*, in qvem cùm impetum facerent, S. Petrus extendens manus in Orationem, ostendit canibus panem benedictum; qvem ut viderunt canes, subitò nusqvam comparverunt. *Ex Lib. 2. hist. Apost. per Abdian Babilon. Episc.*

VIII.

Benedicto oleo à *S. Hilarione*, universi agricolæ & pastores, vulne-

vulnera, à ſerpentibus illo tempore pluribus inflicta, tangentes, certam ſalutem reſumebant. *D. Hieron. in vita.*

IX.

Alanus Copus, ſcribit rem obſervatione dignam, qvod in Converſionis *D. Pauli* feſtivitate, nati 25. *Januarii*, in ſerpentes imperium exerceant, eorumq; morſibus medeantur. Ita alii cujuscunq; ſalivam mulieris, in caput ſerpentis, præcipuèq; fauces deciduam, ejus nocendi Vires ferunt enervare. *Maſenius Tom. 2. Con.128.*

X.

S. Mamertus Epiſcopus, in terræ motu, ac luporum, urbem etiam ipſam ingredientium furore, ad imminentem cladem avertendam Rogationum Litanias primus inſtitui. *Ann. Cal.*

Cal. S. Parthenius Epus Lampsacenus, aqvam cum sale benedixit & mari immersit. Res mira diaboli impedimentum cassatur, & retia incredibili captura repleta ad littus educuntur. *Metaphrast.*

§. XIV.
INDUSTRIÆ.
Tentationes vicendi, & evadendi.

I.

Joannes Franciscus Materdona refert Granatensem hoc suggerere consilium tentato. Cogitandum eam horam qva tentaris, esse horam Christi, eâ horâ aliqvid perpessi. Alia hora pedes discipulorum lavit; aliâ oravit cum sudore sangvineo; aliis horis captus, ligatus, alapis & sputis vexatus,

xatus, flagris cæſus, ſpinis coronatus, Cruci clavis affixus, ſitim & opprobria paſſus, extinctus eſt. Audebis tu, ingratum caput vinctas manus dare diabolo, voluptati &c. eâ horâ, qvā Chriſtus amori tuo, non ſine dolore impendit? Reſponde tentationi Chriſtum ut Scutum bonæ voluntatis opponens, id qvod laudatus ille à *Vincentio Carrafa Vir Sanctus apud Surium*, reſpondit rogatus; cur corporis commoda tantopere abhorreret? *JESUS prohibuit: JESUS non permittit, prohibuit verbo, non permittit exemplo. De Mortific.* c. 4.

II.

Chriſtus Dominus Monuit aliqvando *S. Brigittam*, ut tempore tentationis, DEIparam imitetur pro Virium ſuarum tenuitate,

tate, repercutiendo tentantem hoſtem, opponendo illi contraria? Tunc, ajebat, repercutis diabolum, qvando tentationi reſiſtis; opponendo humilitatem contra ſuperbiam, continentiam contra gulam. L. 4. c. 106.

III.

S. Antonius de Padva, Ser. Dom. 3. poſt Epiph. Remedium contra tentationes tradit, dicens: Cùm tentaris, dic diabolo: *In Nomine JESU, qvi imperaûit ventis, recede à me.*

IV.

Signo S. Crucis nihil efficatius ad turpes effugandas tentationes aſſerit ex divina revelatione *S. Elizabeth de Schonaugia. Lib. Viar.* Dni. c. 21.

V.

B. Conradinus Ord. Prædicat. catena ferrea ſecingebat, & eadem ad

ad ſangvinem usq; cædebat, ut DEI Matrem ſic etiam coleret, qvæ illi duabus è cælo Virginibus ſtipata apparuit, effecitq; ut deinceps nulla turpi Cogitatione fuerit infeſtatus.

VI.

B. Virgo MARIA, *S. Brigittæ* dixit: Cùm tentatione ſordida tentaris, dicito: *JESU Fili DEI, omnium cognitor, adjuva me; ut in Cogitationibus vanis non delecter.* Revel. Lib. 1. c. 22.

VII.

Bloſius graviter tentato tale dedit conſilium: ſi vehementiùs importuniusq; infeſtatur, ſigno Crucis edito invocet DEUM & dicat: *Domine conſerva me immaculatum Coram te; ego mori vellem milies, qvàm huic iniqvitati, huic peſſimæ ſuggeſtioni conſentire. Inſtit.* Spinit. §. 3.

VIII.

S. Anselmus de similitud. c. 115. ait : Qvandoqvis tentatur, non debet dicere : Misericordia Domini magna est, sed hoc potiùs: Horrendum est incidere in manus DEI viventis. Qvanto appetitus , Luxuriæ qvemcumq; pulsat non cogitet tunc : Qvacunq; die peccator ingemuerit, omnia peccata ejus oblivioni tradentur, sed potiùs sæpe recogitando tractet, qvod maledictus omnis, qvi peccat in spe.

IX.

Abbas Joannes in vitis Patrum Lib. 3. c. ult. inqvit : sicut aqva extingvit ignem ; ita Oratio extingvit tentationem. Hinc *S. Annam* Cuidam in gravi tentatione posito imploranti, & dicenti : S. Anna, ego animam meam depono ad pedes tuos, S. Anna mea libera

libera me ab hac tentatione. Victoriam procuravit, alias ſemper victo. *Ann. Cal.*

X.

S. Bernardus Ser. 67. de Modo benè vivendi ait: Si ſentis moleſtiam carnis, ſi tangeris ſtimulis carnis, ſi memoria libidinis adhuc titillat animum tuum, ſi caro tua ad huc te impugnat, objice tibi memoriam mortis tuæ, propone tibi futurum judicium, reduc ad memoriam æterna tormenta.

§. XV.

INDUSTRIÆ

Strumas, & alias affectiones curandi.

I.

De Chriſtianiſſimis Regibus Francorum ſolo tactu ſtrumas & ſcrophilas ſanantibus, narrant

non ſolùm Annales, ſed etiam & Medici. *Joan. Taugauc. Inſtit. Chirurg. L. 1. Guidon in Ghirurg. Mag. tr. 2.*

II.

Apud Burgundos eſt ſons *Trium Regum*, cujus Dominus Toparcha Strabonenſis, qvi Vectores Sacri theſauri ſuſcepit hoſpitio, donatus ipſe, & Dominii Succeſſores gratia ſtrumas Curandi. *De qvo Paſchalis Robinus in Vita S. Marculphi 1. Maij.*

III.

S. Edvardi Regis Angliæ præcibus ac meritis, à DEO Regibus ſucceſſoribus tributum eſt, ut tactu atq; Hymnis qvibusdam recitatis ſtrumoſos ſanent, utq; annuli ad diem Paraſceves qvotannis ab eisdem Regibus ſolenni ritu Conſecrati, eadem vi polleant, qvâ homines à comitiali morbo

morbo liberentur. Referunt etiam Annales eosdem Reges Angliæ olim qvosdam annulos benedixisse utiles nervorum Contractioni, spasmo, & Morbo Comitiali, & tactu strumosos sanare solitos. *Ita Stephan. Westmonasteniusis & Polidor. Virgil. L. 8. Hist. Angl.* Qvod putandum obtinuisse, dùm in gremio fuerunt Ecclesiæ, *inqvit Torreblanca in Dæmonologia.*

IV.

Domui Habsburgicæ à DEO Concessum tradit *Felix Fabrè Lib. 1. Hist. Svevor. c. 15.* ut si qvis balbutiens, vel impeditioris Lingvæ, ab uno Principe depræmissis, siné aliò qvæcunq; suffragio osculum acceperit, officium loqvendi disertissimè, ætati suæ Conveniens actutum conseqvatur.

V.

Regibus Hungariæ Jcteri Sanandi virtutem concessam esse docet *Andreas Laurentius de strumis ex Chassanæo & Carolo de Tapià.*

VI.

In Antisiodorensi territorio, Mulier ob partûs difficultatem diebus multis periclitabatur; qvo cum fortè fortuna, venisset *S. Bernardus* id resciens, aqvam benedixit, & mulieri misit; qvam cum gustasset, illicò natus est puer, *L. 4. Vitæ.*

VII.

De *S. Abrahamo Abbate scribit Cassianus Collat.* 15. c. 4 eum aqvæ benedictæ haustu. Mulierem, qvæ arescentibus uberibus, parvulum recens natum lactare non poterat, ita persanasse; ut lactis affatim præberet, non uni sed pluribus exsugendum.

VIII.

VIII.

S. Augustinus præter alias crebras infirmitates. In particulari narrat, se usu tibiarum ita destitutum, ut nec ingredi nec stare, nec sedere potuerit, ob nimium tumorem, & crebras exulcerationes pedum & plantarum, unde compatitur sic laborantibus. P. *Vilela L. 2. c. 7.*

IX.

S. Gregorius Mag. refert Corpus suum propter podagram ita emarcuisse; ut rarò prodire è strato potuerit, imo per continuatos annos duos è lecto nunqvam surrexerit. Hinc patronus podagricorum. *in Epist.*

X.

S. Syria Virgo regia post mortem Miraculis celebris, maximè mirabili ope illis allatâ, qvi acutissimis calculi doloribus crucia-

ti illam implorârunt. *S. Lydwina* calculo & fellis vomitu vivere desiit. Cujus patrocinio gaudent calculosi, qvemadmodum etiam *S. Liborii.* In vitis eorum.

§. XVI.

INDUSTRIÆ.

Pericula varia evitandi & evadendi.

I.

S. Eligii Noviomensis Episcopi saluberrima est admonitio, qva freqventes nos Cruce muniri idcircò jubet, ut nos semper memoria DEI & Vigilantes protegat, & custodiat dormientes.

II.

Qvidam mari mersus, visus est repentè in littore incolumis. Rogatus qvomodo evasisset? respondit, se cùm è navi prolaberetur in mare Sanctissimæ MA-

RIÆ Nomen implorasse, neq; unqvam ab eodem invocando cessasse, Ad fuisse sibi Reginam æternæ gloriæ: seq; ab illa pallio illius tectum, involutum eductum, & collocatum in tuto. *Lyræus Trisag.*

III.

Legitur in Literis Indicis Patrum Soc. JESU *an. 1560.* qvod ethnicus puer in amplissimam piscinam decidit, & natandi ignarus tantum non mergebatur. Lusitanus cũ aliter sucurrere non posset, admonere cæpit, ut *Nomen JESU invocaret*; Fecit, & in Nomine JESU ab undis ingentibus emèrsit. *Nicephorus Lib. 8. hist. Eccles. c. 34.* refert ad invocationem Nominis JESU infantem ægrotum à vitæ periculo liberatum.

IV.

S. Josephus duos Religiosos S. Francisci, per tres dies & noctes jactatos fluctibus in mari liberavit à morte, dixitq; : Qvi septem *Pater & Ave. &c.* dixerit in honorem septem dolorum, & septem gaudiorum ejus, in omni necessitate Corporis & animæ opem illi allaturum efficacem.

V.

Venetiis Dæmon, Simiæ specie, jucundissimè se Advocato Domino suo homini neqvam servivisse fassus est tandem Religioso Viro Capuccino, illic prandenti, eo finè, ut si, vel semel ante somnum B. Virginis MARIÆ opem implorare neglexisset, præfocatum ad inferos abriperet. *Ann. Angelic.*

VI.

S. Gregorius VII, Pont. ignem

ab incendiariis per fraudem immissis, excitatum, juxta Basilicam *S. Petri*, lateq; omnia circumcirca loca populantem, Cruce signatum in momento extinxit. *Baron. Tom.* 12. *ad an.* 1082.

VII.

Qvi Icones *Trium Regum*, scilicet adorationem Christi, tactu corporum sacras circumferunt, & opem in periculis implorant, iis ubiq; locorum, in periculis morbis, casibus adversis, ac in itineribus, Contra piratas, fures, latrones, hostes, tutum præbent comitatum, & adsunt præsidio, ubi exemplis probat *Crombach, Lib. de cultu eor.*

VIII.

Gregorius Lopez Soc. JESU, contra omnes tentationes, & pericula hominum, ac Dæmonum, utebatur illis verbis: *Fiat voluntas*

tua ſicut in cœlo & in terra. Munnez vitæ ejus.

IX.

Cùm Religioſi S. Dominici Pariſiis & Bononicæ, valdè vexarentur à ſpectris, juſſit Vir Sanctus qvotidie in choro illos recitare Antiphonam: *Salve Regina &c.* & Lemures evanuerunt. *P. Kiſelius in Append.*

X.

Qvædam mulieres, cùm viros haberent immites & feros, eosdemq; hæreticos, clam in eorum thoracibus ex cera *benedicti Agni* particula conſuta, leniſſimos ſibi & mitiſſimos reddiderunt. *Ex Literis ann. Soc. JESU in Miſſion Tedanen,* 1523.

§. XVII.

INDUSTRIÆ.

Verè de peccatis pænitendi.

I.

Non desunt, qvi aliqvalem peccatori promittunt conversionem ad pœnitentiam, dummodò in actibus devotionum exteriorum se exercere non desinat, & divina non abutatur clementia, nec illis utatur eo fine, ut tantò animosius peccata multiplicet. *Mansius in Bibliot. Moral.*

II.

S. Gertrudi Christus dixit: Qvilibet poterit respirare in spem veniæ, offerendo DEO Patri meam innocentissimam Passionem & mortem. Credat igitur peccator, se per hoc obtinere saluberrimum fructum indulgentiæ; qvia nullum tàm efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, sicut devota memoria meæ Passionis cum fidè recta & vera penitentia. L. 4. *Insin. Divin. piet.*

III.

S. Augustinus Lib. de pænit. dicit: Culpabiliter est damnandus, qvi potest flere damna Corporis, vel amici, & non potest flere damnum animæ de amissione DEI.

IV.

Lucernæ Nonnemo peccatum qvod piam silentio premebat in Confessione; atq; ut illud citra Sacramentum pænitentiæ expiaret, *Rosarium* Sabbato recitare non omittebat. Huic Beatissima Virgo persvasit, ut posito robore, peccatum illud in Confessione fateretur. *Courcier Ann. 1603. Martinus a Matre DEI in Gymnasio Philosophiæ*, ait Annam à S. Augustino, Charam Sociam S. Theresiæ, in inferno vidisse animas variè Cruciatas, ore hiante, peccata sua palàm narrasse, qvæ o-

lim

lim hic à Confessariis abscondebant. *In Append. c. 2.*

V.

S. Gregorius Hom. 12. in Evang. ait : Qvi pænitenti veniam spopondit, peccanti diem Crastinum non promisit: semper ergo postremum diem debemus mutuere, qvem nunqvam possumus prævidere. *Magno Thelogo* fassus est Dæmon, ipsi morienti conspectus: Nihil est qvod sic Vires nostras enervat, qvàm freqvens Confessio *Specul. Exempl.*

VI.

D. Augustinus Ser. 16. de Verb. inqvit : Qvi vicinam sibi & instantem Contemplatur mortem, pænitnetiam minimè differt. Si tùm vis agere pænitentiam, qvando jam peccare ampliùs non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa *Idem. Lib. de Ver. pænit.*

VII. S.

VII.

S. Brigitta, Magnum Dominum vocat, cujus cor & lingvam Dæmon ligaverat, is qvater ante mortem uno die peccata Confessus, è vita discessit, eò, qvod doloribus DEIparæ compateretur, qvoties illam vel cogitaret, vel nominari audiret. Ideo inqvit Christus *S. Brigittæ* Compendium suæ salutis invenit & salvus erit. *Revel. L. 6. c. 97.*

VIII.

Blosius ad discernendam veram Pœnitentiam à ficta, seqventem modum insinuat: sui displicentia, & seria nunqvam peccandi voluntas, veraq; erga DEUM confidentia, & amor, vera pœnitentia est. *In Margarit. c. 8.*

IX.

Thaulerus Lib. de Vita & pass. Christi ait: si qvem DEUS permitte-

ret

ret videre peccata ſua, ſicut ipſe ea videt, præ dolore mox rumpendum eſſe Cor illius, aut eum ſenſibus deſtituendum, ubi aſpiceret qvanta injuria, contemptu, vilipenſione affecerit Creatorem ac Redemptorem, DEUM ac Dominum ſuum, & qvam turpiter, qvam indignè ſpecioſam ac Nobilem deformârit animam ſuam.

X.

Fæmina contaminatæ Vitæ, qvã narrat *Pennequinus in Iſagog. Par. 3. c. 16.* erat ſus lota, ſed reverſa ad volutabrum luti. Hæc vidit aliqvando Judicem Chriſtum, alios ad præmia, alios ad æterna tormenta deſtinantẽ. Proruit ad pedes Regis irati judicis, miſericordiam inſtanter flagitans, ſed audiit: *Qvid vis faciam? porrige mihi digitulum tuum: & ego ambabus manibus tibi ero auxilio.* En ſpem promiſ-

promissam cadentibus, modo suum conatum pro sua tenuitate ad hibeant ad mores emendandos.

§. XVIII.

INDUSTRIÆ.

Mortem improvisam & infelicem evadendi.

I.

Ne Mors, qvam certo expectas tibi eveniat in expectata, ad illam tua omnia dispone, animumq; totum compone. Qvotidie tibi ipse, qvasi morienti prælege preces illas usitatas Ecclesiæ, qvæ recitari solent ad spondam lecti, dùm qvis moritur videlicet: *Proficiscere anima Christiana de hoc Mundo &c.* Itemq; *Litanias Omnium sanctorum*, ac B. V. MARIÆ.

II.

S. Gertrudis refertur instit. spirit. Lib. 4

Lib. 4. c. 36. ad festa gloriosæ resurrectionis Christi, millies qvadringenties, sexagesies sexies, vulnera ejus his verbis salutasse: *Gloria sit Ss. Trinitati propter vulnera Unici amoris mei JESU Christi.* Post qvæ Christus illi se videndum præbuit, ostensis qvinq; vulneribus radiantibus auro floribus redimitis; vide inqviens, Filia qvam me devotione tua venuste exornâris? Et ego in hora mortis tuæ, cum hisce tibi apparebo vulneribus, in iisq; peccata tua abluam & submergam. Atq; eorum omnium, qvi simili devotione vulnera mea venerati fuerint.

III.

Neapoli fuit Mulier impudica, qvæ duobus juvenibus familiaris, consensit, ut eorum alter, interimeretur ab altero. Fa-

ctum

ctum & ecce dormienti illi procul, horridoq́; ſtrepitu perterritæ catenarum, & in lecto ſedenti, apparet homo atra veſte in fætore intolerabili, cinctus catenis, & totus inflammis ferens feroci manu trux novaculâm, quâ ei guttur parabat præcidere, dicens ſe propter illam perdidiſſe Vitam temporalem & æternam. In illo terrore mulier illa exiſtens imploravit pro auxilio Ss. Nomen Virginis MARIÆ, ad qvod fugit horrifiumbra illa. *Ita Petr. Giſolfus in vita Onuphrii Anna.*

IV.

Familiaris fuit S. *Edmundo hic: JESUS Nazarenus Rex Judeorum*, titulus, veſperi fronti inſcriptâ digito Cruce, ter pronuntiatus, parvuli JESU conſilio pro morte felici. *Vita ejus.*

V. Ca-

V.

Cæsario teste, miles qvidam sub Friderico Imperatore, ob sua crimina patibulo innodatus, toto triduo pendens, mori non potuit sine Confessione & viatico, ob cultum qvinq; vulnerum Christi, per qvinq; *Pater noster*, & *Ave &c.* qvotidie pro felici morte recitata.

VI.

Sunt è sacris Doctoribus, qvi affirmare ausint, eum, qvi die qvolibet Christum in sacratissima Hostia adorarit, mala & Subitanea morte, eadem die nunqvam moriturum. *Forner. Tom. 1. Conc. 53.*

VII.

S. Vincentius Ferrerius scribit de famoso latrone, cui propter recitatam unam qvotidie *salutationem Angelicam*, dæmonum integri

tegri manipuli, qvibusvis insidiis, & insultibus suis, nocumenti haud qvicqvam in morte potuerunt.

VIII.

S. Gertrudis B. V. MARIÆ honori, centum qvinqvaginta Salutationes Angelicas recitans pro felici morte, vidit omnes illas, in specie Nummorum aureorum, pro articulo mortis ab illa servatas. *Ann. Cæl.* Qvi laudârit DEUM, vel gratias egerit, pro beneficiis *S. Gertrudi* Collatis, non morietur, nisi priùs DEUS specialis familiaritatis delectationem, in anima ejus habuerit. *Instit. Divin. piet.* c. 22.

IX.

S. Barbara Virgo & Martyr, illam à Sponso JESU moriens gratiam accepit, ut sine Sanctissimo pœnitentiæ ac Viatici Sacramento

mento non morerentur Clientes ejus; id qvod in Henrico, tota carne exusto, & pluribus aliis, etiam novis exemplis ostendit DEUS, *Ann, Cæl.*

X.

Ajunt Virùm apprimè pium, cum æger à morte haud procul abesset, ac ad supremas æternitatis tàm Vicinæ portas anxius animi trepidaret, visitatum è cælo à pulcherrima candidatorum plusqvam millium, milliumq; corona, & mirificè recreatum jucundissimo illo spectaculo ac hisce verbis: *Bono animo esto, nos tibi in extremo isto certamine aderimus adjutores.* Lacrymabatur ille intimarum deliciarum plenus; & rogabat ecqvi essent? Responderunt: *Sumus animæ, qvas tu è Purgatorio, ut citius ad cælum pervenirent,*

venirent adjuvisti Adsumus tui Comites wq; ad Cœlum. Rau. de purgat. c. 17.

§. XIX.

INDUSTRIÆ.

Animas è purgatorio eliberandi, illudq; evadendi.

I.

Lyræus è Capuccinorum annalibus ait Anno 1569 Capuccinum petiisse post mortem sacra, & preces; se enim ad octo dierum Purgatorium esse damnatum ob silentium ad focum violatum. Factum qvod petebat, & vox ab iisqvi se ad focum calefaciebant audita est animæ illius; *Bene sit vobis, fratres. Dominus pro charitate qvam mihi præstitistis digna vobis præmia largiatur. Etenim modò à pœnis libera cœlum conscendo.* Lib. 2. Apophth. 5.

II. Joan-

II.

Joannes Baptista Mannus ait Christum *S. Gertrudi Virgini* dixisse; adeò sibi gratos esse *Psalmos* pro defunctis recitatos, ut qvoties per illas preces anima è Purgatorio liberatur, tàm gratum sibi exhibeatur obseqvium, atq; si Christum ipsum captivum è carcere liberassent. Seq; id repensurum secundum Omnipotentiam suæ liberalissimæ pietatis.

III.

S. Remberto Archiepiscopo sacerdos olim defunctus, dixit se Cruciari, qvod salutis suæ negligens, parùm gravis, sæpè otiosus, cibo & potioni deditus fuisset in vita, liberandum se tamen, si pro eo per dies 40. jejunaret, pane, sale, aqva contentus. Id qvod ipse, fecit, & postea ille liber, gratias sibi

per alium egit, ac præparatam cælestem gloriam revelavit. *Ann. Cal.*

IV.

Cuidam Clienti B. V. MARIÆ petenti qvænam Oratio illi valde placeret, Adfuit illi Mater amabilis; & respondit: Petisti à me; qvænam sit mihi valde grata Oratio, Dico: Rem mihi gratissimàm facies, si qvotidie mihi novies *Salve Regina* recitaveris, *Ter mane pro Conversione peccatorum. Ter post meridiem pro iis, qvi in extremo agone versantur. Ter deniq; vesperi pro animabus qvæ in purgatorio expiantur. Ignatius Larganus* L. 1, p. 2, c. 3, devot. 1.

V.

Apud *Cæsarium Lib.* 12. *c.* 34. Abbas pro defuncto dixit: *Reqviescat in pace.* Et ille defun-ctu

ctus Sifrido Novitio eodem die conſpectus dixit: Hodie liberatus ſum.

VI.

Catharina Pulchra, qvam *S. Dominicus ad* Caſtam frugem reduxerat, oſtenſæ ſunt *Salutationes Angelicæ* in Symbolo fluviorum in Purgatorii flammas fluentium, ad animarum levamentum. Qvarum aliqvæ illis recreabantur, aliqvæ reſtincto illo igne, liberabantur. Qvo viſo ei DEUS voluit oſtendere, qvàm prætioſa erat ejus Oratio, qvâ ſuum *Roſarium* pro animabus purgatorii recitabat. *Chronic. Dominic. par. 1. in vita S. Dominici.*

VII.

Abbas Cornelius Columbanus in ſuo Conſolatorio, è S. Franciſci legenda, ait gratias actas fæminæ à fratre Purgatorii pœnis libera-

to, qvod ad B. Virginis templum peregrinationem ſuſcepiſſet.

VIII.

Joan. Bapt. Mannus ait Alexandro Capocchio, cum ſocio in ſylva erranti & eſurienti, ac pro defunctis officium recitanti, animam è purgatoriò ad fuiſſe; hermam è purgatoriò...

IX.

Qvisqvis in hac vita, inqvit *B. Petrus Cardin. Damiani*, perfectam egerit pænitentiam, nullam poſtmodum pro ſuis exceſſibus ſentiet pœnam. *In Epiſt. ad Petr. Cerebros. B. Mariæ Ogniacenſis* longiſſimum ſilentium adeò gratum fuit DEO, ait *Vitriacenſis Cardin. in ejus Vita*, ut è Spiritus Sancti

Sancti revelatione didicerit, eo vel maximè id impetrasse, qvod citra purgatorii pœnas migraret in cælũ. *Manni de purg. disc. 4. n. 23.*

X.

Spondanus Anno 851. *n.* 3. *ait* hoc anno diem obiisse Ebbonem Rhemenensem Archiepiscopum. Revelatum fuisse qvod Ebbo cum aliis nonnullis Episcopis torqveatur pænis Purgatorii; eosq; expetiisse suffragia viventium, orationis & eleemosinas, præcipuè verò sacratissimum Missæ sacrificium; qvibus exhibitis, iisdem alleviati fuerint. Apud *B. Petr. Cardinalem Damiani*, mortuus dicit eleemosinâ se refectum. L. 2. ep. 14. *S. Gertrudis*, pro mortua Mechtilde recitans *Litanias*, videbat sanctos, qvi nominabantur, assurgere, ac sua merita, pro defuncta offerre. *Barri Ann. Sanct.*

18. *Jan. S. Hieronymus Citatus à Paulo V.* in Concessione Missæ pro defunctis, inqvit: Animæ, qvæ in purgatorio torqventur, pro qvibus solet Sacerdos in Missa orare; interim nullum tormentum sustinent, dùm Missa celebratur. *S. Gertrudis* ab anima qvapiam è cælo edocta est; Sacerdotem longè Majorem fructum capere è sacro dicto pro mortuis, qvàm caperet Sacro ob charitatem, qvando motus Amore DEI celebrat. *Insin. L.5.c.5.*

§. XX.
INDUSTRIÆ.
Damnationem æternam evadendi.

I.

Chronic. Francisc. p. 2. Lib. 8. c. 9. refert *Joannem de Firmo*, horrida in agone facie turbatum primùm

mùm, deinde rogatum, qvid illa facies sibi voluisset, respondisse: *Si qvi vidi dicerem, non credereritis: Sed unum scitote, qvod qvi vult aternam adipisci salutem, soli Christo Crucifixo ardenter inhærere debet. Ita cælo animam dedit.*

II.

S. Bernardinus Senensis Ser. 4. tom. 2. inqvit: Qvicunq; Scelestissimus peccator debitè invocaverit in ultimo vitæ momento Nomen Sanctissimum JESU, salvabitur, juxta illud Prophætæ: *Qvicunq; invocaverit Nomen Domini salvus erit. Joel. 2.* Hinc si moribundus Ss. hoc Nomen JESU voce neqvit proferre, qvi adstiterint, in aures ejus inclament, ut corde id pronunciet. Ea enim illius vis est, *ut Arnobius ait*: ut cor subintrans inde fuget noxios spiritus suggestores, idq; si, vel

ab ipsis Sacrilegis pronuntietur. *Ut addit Origenes.*

III.

S. Bernardus Ser. 2. in Octav. Paschæ: Fidelis inqvit, sermo, & omni acceptione dignus, qvo electionis ad salutem testimonia Commendantur. Qvi peccato non servit, qvi Christi Sangvinem non evacuat, & à peccatis continet, qvi dignos pænitentiæ fructus agit, qvi vitæ opera facit, qvi DEI verbo delectatur, qvi jugiter ejus auditione, & meditatione exercetur qvi DEUM diligit & proximum, is meritò Considerat se ad æternam vitam esse prædestinatum.

IV.

Christus Dominus dixit *S. Mechtildi*, qvoties qvis seqventia verba dixerit: *Credo qvot Redemptor meus vivit. Toties Sanctos* in cælo

cælo resurrectione Christi, & sua lætari, & orare pro dicente, ut olim possit gloriam æternam Consequi. *In bladitiis Sanct. c. 3.*

V.

Sandæus è Floribus Seraphicis Scribit de Bartholomæo Cæsenate, qvi licet esset homo vitæ profligatæ, ac sacerdote planè indignæ; qvotidie tamen DEIparæ: *Stabat Mater dolorosa &c.* recitando, per illam damnationem æternam evasit, viso priùs amico suo, sacerdote scelerato interfecto, explosa à qvopiam glande plumbeâ, & damnato.

VI.

Jacobus Hautinus Lib. de purgator. p. 4. §. 5. ait prædestinatum ad gloriam eum, qvi suam satisfactionem donat purgatorii animabus. Alibi affert exemplum animæ è purgatorio liberatæ qvæ

S. Oswaldo, cujus ope fuerat liberata, dixit: *significo tibi, hujus charitatis, ac aliorùm bonorum causa te DEO esse percharum. S. Remberto*, liberata ab eo è purgatoriò anima nunciavit; præparatam illi esse cælestem gloriam. *Bollandus.* Idem *Hautinus* è *Cantipratano ait* animam Comitis cujus piam, Virgini vindici suæ è purgatorio Conspectam dixisse: *Optimum Numen, pro ipsius in se singulari charitate, immensam gloriam illi concessurum.*

VII.

Ignatius Nentius Ord. Pradic. memorat Henrico Susoni felices illas animas crebriùs ad fuisse spectabiles. Earum unam jam gloriosam interrogavit Henricus: Qvod esset magis utile, ac efficax exercitium spirituale, ad asseqvendam æternam beatitudinem? Respondit

ſpondit anima: *Se ipſum deſereret ac ſe in manibus* DEI *ita Deponere, ut quicqvid accidat, accipiatur non tanqvam à Creaturis, verùm tanqvam à* DEO *veniat: Et vivere cum tranqvilla patientia cum iis qvi te perſeqventur ut Lupi. cap. 5. vitæ. Florentiæ. impreſſæ* 1642.

VIII.

Oſtenſus è cælo eſt *S. Juliano Martiri Liber vitæ* aureo charactere ſcriptus. Juſſus legere, Legit ibi ſuum nomen; & audivit ſibi dici, Caſtitatem inter primas prædeſtinatorum Virtutes eſſe numerandam: In *hoc Libro* (ajebat cæleſtis vox,) *ſcripti ſunt caſti &c. Bollandus. 9. Jan.*

IX.

S. Othone Epiſcopo moriente plenæ in pauperes charitatis, viſi ſunt pauperes ſvaviſſimè concinentes, mægnos & pretioſos

 lapides

lapides in montem efferre, ac dicere: *Nos sumus, qvi eleemosynas, ac beneficia plurima à pio Othone accepimus; ideoq; domum prætiosam ei dificamus.* In ejus vita 2. Julii. Hinc, *S. August. Ser. 69.* de diversis. Habe, inqvit, charitatem: tunc pervenies ad æternitatem, ubi invenies securitatem.

X.

Ludovicus Granatensis Conc. 1. Dom. 2. Advent. disertis verbis asserebat, certissimum signum esse reprobationis, non commoveri ad Virtutem, vel non amoveri à peccato ultimi Judicii Commemoratione. Nam ut *D. Ambrosius Hom. 2. in c. 2. ad Thessal. ait*: Nemo in hac novissimorum Consideratione est assiduus, nisi qvi ad vitam præordinatus est æternam.

§. XXI.
INDUSTRIÆ.
Periculum mortis in partu evadendi.

I.

Chryſoſtomus Henriqvez in menol. 7. Octob. de monaſterio *Clari Fontis* ita ſcribit: Exſtat in hoc Monaſterio cingulum integrum *S. Margaritæ Virg. & M.* tantæ Virtutis, ut ſi qvæ prægnantes mulieres, præſſuras, difficultates, vel etiam pericula mortis patientes, eo cingantur, vel tangantur, illicò tàm citiſſimè, qvàm facillimè, absq; omni labore, & dolore liberentur.

II.

In Eccleſia S. MARIÆ Carnuti in Gallia, piè aſſervatur induſium ejusdem Beatæ Virginis, perennibusq; miraculis eſt cele-

bre; siqvidem puerperæ, si difficili laborant partu, statim ac ventri admovent aliqvod indusium simile prædicto B. MARIÆ V. efformatum, sanctificatumq; à contactu ejusdem, magna facilitate fætus enituntur. Milites etiam similibus sanctificatis indusiis per contactum illius B. Virginis, felici eventu utuntur Contra inimicorum arma. *In Historia Francica.*

III.

Bozius de signis Lib. 15. *c.* 11. Romæ adhuc adservatur tenuis qvædam tunica *S. Birgidæ Svetiæ*, cujus contactu in primis illud dicitur, ut mulieres gravinitùs contigit, ut mulieres gravidæ, qvæ pariendi difficultatem patiuntur, à mortis periculo eximantur.

IV.

Solent Matronæ conflatos ex

ebore annulos, Perusiam mittere, (ubi asservatur annulus pronubus B. M. V.) attactu illius consecrandos, in partu profuturos. Asserunt enim, partui propinqvas mulieres difficili nixu se excruciantes, si hos annulos digito gestant, sublevari. *Joan. Bapt. Laurus de Annolo B. V M.*

V.

Gonzaga in Provincia Castellæ, de Conventu S. Elisabethæ Reginæ, Toleti scribit. Feliciter diem suum obiit hoc in monasterio an. 1507. Ven. Virgo Maria à Toleto; cujus pietatem multis prodigiis voluit DEUS illustrare. Adest præcipuè inter alia, hæc Chiristi sponsa sterilibus mulieribus, si ejus cingulo ventrem devotè circumcinxerint; prout rei eventus, & longa experientia satis comprobatur.

VI. *Idem*

VI.

Idem in Provincia Valentiæ, de Conventu S. Gatharinæ Hondæ. Asservatur in hujus Sacræ ædis Sacrario qvidam gloriosæ Virginis Matris MARIÆ calceus, qvem ex urbe Roma allatum sibi Nobilis Heros Rodericus, Munozius dono dedit. Mulieribus in puerperio periclitantibus opportunè præfatus calceus applicatur.

VII.

Vestis *S. Elisabethæ Marburgi*, mulieres cunjugatas, & steriles, si eam induant, efficit fæcundas. *Petra Sancta in miraculis perpet. c. 12.*

VIII.

Idem. c. 3. scribit: Apud Sabinos in Cænobio Benedictinorum, cui est à Fara cognomentum, asservatur clavis ostioli Sacræ ædis Lauretanæ. Hæc fermè

Miracu-

Miraculo perenni patefacit, unde nam ſit ei origo, & qvorum teri manibus aliqvando meruerit. Nam puerperas juvat, ut eniti prolem valeant felici puerperio, doloribus, aut prohibitis aut certè mitigatis. Qvod cauſa eſt, cur freqventer ex Sabina, in urbem ad fæminas Principes perferatur, qvando eis imminet partus.

IX.

Ferrarius in Cat. Ss. 24. Octob. de B. Angelo Ord. ſervorum. Apud Cauacurtam Laudenſis diæceſis pagum, ejus interula parturientibus opem ferens, aſſervatur.

X.

Panem benedictum in honore *S. Nicolai Tolentinatis* cum aqva & invocatione S. Nicolai capientes, à febribus præcipuè, puerperii doloribus, morbis conta-

tagiosis, aliisq; ejus generis malis liberantur. *Cornel. Lancilottus in Vitas. Augustini* L. 3. c. 67.

§. XXII.
INDUSTRIÆ.
Emortuum fœtum resuscitandi, & vivificandi.

I.

Eustachius Rudius in sua arte medica Lib. 2. c. 600. de Abort. apud Petram Sanctam de miraculis perpet. c. 2. ait : Est Sacra ædes Virginis DEIparæ in ditione Comiginis Ortemburgensium, inter fines Principatus Tirolensis, qvam incolæ ac finitimi populi appellant *S. Mariam de Luggau*. Ad eam sacrã ædem, si emortui fætus statim à puerperio perferantur, super aram Virginis reviviscunt, donec lustrali fonte abluantur, & mox rursùs moriuntur donati æternitate.

II. *Gump.*

II.

Gumppenberg. de imagine B. Virginis Weissensteinensis, in German. sup. scribit : Infantes sine baptismo mortui, ante hanc imaginem deferuntur, & in præsentia idoneorum testium, indubia dant signa vitæ, & ritè sacris aqvis abluuntur.

III.

Idem, de imagine B. Virg. Speræ in Serm. super. Porrò huic loco proprium est, jam ab antiqvo in hodiernum usq; diem ; infantes sine Baptismo defuncti, nonnulli etiam è sepulchro eruti, atq; ab ipsa usq; valle Felina huc portari, freqventissimè vitæ signa dant, ad baptismum recipiendum sufficientia. Authenticum instrumentū testatur, ann. 1652. 1653. 1654 viginti qvinq; eo modo revixisse, & baptizatos esse.

IV. *Idem*

IV.

Idem de imagine B. Virginis de Libercourt, in Germania infer. Miraculosa est in hodiernum diem hæc Sacra imago: Gratiam præcipiam experiuntur infantes sine baptismo defuncti, qvi aliqvandiu per idoneos testes superaltari positi, signa dant vitæ, & confestim baptizantur.

V.

Idem de imag. B. V. Buriensi Busly, in Lotharingia. Multi pueri in matrum utero demortui, ad Imag. hanc Buriensem propè Buscium vitæ restituti, ac piacularibus undis abluti, iterum decessere.

VI.

Idem de Imag. B. V. Bethuniensi, in Germ. Infer. Duabus, qva ex urbe Insulensi Bethuniam itur, leucis, celebritatem obtinuit non vulga-

vulgaribus miraculis hæc B. Virginis Imago; qvorum celebrius erat infantum Mortuorum ad vitam revocatio, ut ſacro abluerentur Baptiſmo.

VII.

Joannes Buzelinus in Annal. Gallo Fland. Lib. 2. de ſtatuta Virginis, qvæ Fournis colitur. Obſervatum eſt, homines ſingulare beneficium ibi antiqvitùs percepiſſe, & modo etiam impetrare; ut ſi qvi prius extincti fuerint, vel qvàm ab utero fundantur, vel qvàm ſacro latice, tingantur, horum multi tantiſper vitam recipiant, ſi deferantur ante prædictam imaginem donec eos qvie unda Baptiſmatis abluat; & interdum qvidem ad multos vitam annos producant.

VIII.

In actu S. Hugonis Episcopi Linconiensis. Mulier qvædam, cum qvatuor fecisset abortus, admonita est ab ancilla sua, ut puerulum cereum S. Hugoni offerret, qvod ubi fecit, non abortivit unqvā, sed sex incolumes pueros enixa est.

IX.

In Vita S. Rochi Confessoris. Ejus genitrix diu sterilis jejunio qvartæ, & sextæ feriæ, & voto nuncupato ad DEIparam Virginem, impetravit à DEO fæcunditatem, sanctumq; Rochum genuit.

X.

Joan. Eusebius Nierembergius, de Miraculis Natural. terra Prom. c. 28. In antro Bethlemio, ubi latuisse dicitur cum JESU infantulo Virgo DEIpara (qvo tempore jussu Herodis Regis patrabatur infanticidiū sanctorum Innocentium, & la-

& lacte suo etiam locum irrorasse, ex qva re Nomen, & color lactis saxo adhæserunt) saxum ejusdem antri molle admodum est, & instar cratæ, ex eoq; peregrini partem aliqvam semper adimunt, ut puerperis lactis ubertatem impertiat, si ejus inopia, premuntur; nempe infusus aqva, vel vino pulvis hauritur, & ubera redundant, qvod experiuntur passim etiam Machometani & Mauri, insuper Mutis animalibus interdum perinde prodest.

§. XXIII.

INDUSTRIÆ.

Incendium & ignem extingvendi.

I.

In Historia Bavarica par. 1. *Lib.* 5. *n.* 24. scribitur. *S. Florianus* ob Christi Confessionem crudeli martyrio

martyrio necatus, per ignem & aqvam ad ſvaviſſimum Regis ſui complexum evolavit, à qvo id beneficii conſecut⁹ eſt rebus mortalium, ut invocatus, graſſantes in tecta flammas compeſcat.

II.

Brachium S. *Juſtini Epiſcopi Teatini* theca argentea incluſum, honorificè ac religiosè in ea Eccleſia ſervatur, cujus aſpectu ſæpè ipſa urbs ab incendiis mirabili virtute liberata legitur.

III.

In actis Ss. Febr. tom. 1. in Contin. Bollandi. Qvodam die cum Monaſterii muro adhærens coqvina, valido igne arderet, & ſorores valde perterritæ, qvo ſe verterent ignorarent, una ex illis, qvæ familiarius Sancto Vodalo Benedicto, ſveſſione in Gallia, adhærebat, veniens dixit illi,

li, *Benedicte Vodale veni, nosq; de præsenti incendio tua eripe piissima prece.* Ille tollens pallium suum, & super eam projiciens, jussit ut illud contra ignem poneret; statimq; ut contra ignem positum est, flammarum globi in se reflexi sunt, incendiumq; protinùs est extinctum. Qvod etiam usq; hodie per baculum ejus freqventer effici conspicimus: Dùm in ista Civitate sicubi fortè incendium contigerit, illeq; baculus contra allatus fuerit, continuò ignis sua Virtute amissa, extingvitur.

IV.

Thomas Bozius Lib. 15. c. 11. Velum *S. Agatæ Catanenses* educere solent adversùs incendia, montis Ætnæ latè profluentià, qvibus cum fuerit illud objectum, protinus consistunt, ac retrò Mirabilitèr feruntur, neq;,

qvod olim ſæpè contingebat, in ſubjectos campos, villasq; procedunt; recenſet multa tempora ſingillatim Facelus, qvibus tantum miraculum contigit: & res eſt ſiculis omnibus id expertis notiſſima.

V.

Petra, Sancta in miraculis perpet. c. 12. Cives Catanenſes muniunt fines agrorũ ſuorũ goſippio propoſito ſuper infixas humi arundines, poſtqvam eo tetigerint reliqvias *B. Agathæ*. Non enim graſſari flammas in limites ita cuſtoditos, unqvam obſervatum fuit.

VI.

Cremonæ in Ecclesiâ S. Agathæ conſervatur Fibula lapidea, qvæ poſtqvam S. Martyr ob fidei depenſionem Catanæ ab infidelibus occiſa fuit, per Angeli Miniſterium ejus capiti in tumulo, viſibilitèr

biliter ſuppoſita fuit, Cremonamq; delata an. Dni. 568. in eaq; ſunt ſculpta infra ſcripta verba: *Mentem Sanctam ſpontaneam, DEO honorem, & Patriæ liberationem.* Virtutem autem habet ex meritis B. Agathæ extingvendi ignem domos comburentem; ſi contra ipſum oppoſita, delataq; fuerit, ut crebra, & continua experimenta teſtantur. *Pellegrinus Merulla in Sanctuario Cremonæ.*

VII.

Laridum, qvod Neapoli in die feſto *S. Antonii Abbatis* qvotannis benedicitur in ejusdem Eccleſia, diſtributum uſtis ab igne, perenni & mirabili eventu, eisdem ſanitatem impertitur.

VIII.

Ubicunq; humatum eſt Corpus Sancti *Chriſtophori Martyris,*

vel habentur reliqviæ, ibi, nec grando, nec ignis, nec pestis nocet. *Sigonius c. 22.*

IX.

Marchantius de reliqviis S. Joannis Baptistæ. Refert Jacobus de Voragine, Episcopus Genuensis, etiam contra ignem hasce reliqvias ibidem valuisse, sopiendo Conflagrationem in civitate inchoatam, ac infirmitates multas sanasse; imo & contra siccitatem terræ, pluvias impetrasse, dùm processionaliter circùmferrentur.

X.

Petrus de Natal. L. 6. c. 29. de S. Martiale Ep. In Civitate Lemonicensi, mulier qvædam virum suum paralyticum, baculo *S. Martialis* tetigit, qvi mox incolumis surrexit. Idem etiam baculus in urbe Burdigalliensi multis dominibus igne flagrantibus, incendio

incendio oppositus, flammas continuò, ac penitus excussit. *B. Ascelina Virg.* aliqvando sumpta Cruce in manibus magno incendio occurrit, & ad ipsius adventum ignis est extinctus. *Godvinus Monachus in vita.* In Paraqvaria novem sacrificiis pro animarum illarum expiatione promissis, eodē facti voti momento cessarunt venti, & ingens qvod gliscebat incendium restinctum est citra damnum Anno 1635. P. Nadasi.

§. XXIV.

INDUSTRIÆ.

Pecuniam, & aurum acqvirendi.

I.

In Theutoniæ partibus qvidam Falcator, cum jam vesperæ compulsarentur diei seqventis festivi, opus reliqvit, & ad solemnitatem

licet ab aliis irrisus, festinavit, die tertia ad opus reversus, ubi manum ad falcem posuit, ante se pendentem in surculo graminis drachmam miræ & invisæ magnitudinis auream mox invenit. *Cantiprat. L. 2. c. 53.*

II.

Surius in vita S. Aldegundis cap. 9. 13. Novembr. Facta superstes parentum, illico pauperibus cæpit matris thesaurum erogare. Procedente autem tempore, cum jam fieret mater familiarum cum sorore sua, vocat fidelem ministrum, profert argentum, ad comparandas vestes in opus servorum, & pauperum Christi, jubens, ut si qvid de pecunia superesset, sibi referre deberet. Implet servus Dominæ suæ præceptum: emit copiam vestium: qvod remansit peccuniæ refert;

argenri

argenti qvantitas integra reperitur, ac ſi nihil expenſum fuiſſet. Stupefactæ ſuper immenſa largitate Creatoris; qvi explicare valet, qvantas DEO gratias egerunt.

III.

Cum S. Fridianus Epiſcopus Lucenſis Eccleſiam ædificaret, à qvodam ruſtico divite, qvi illuc advenerat, petiit ut centum ſolidos ſibi pro expenſis fabricæ commodaret, negavit ille, juravitq; pecuniam non habere, & diſcedens, cum ſupra flumen tranſiret, in profundum ipſius, cum crumena ejus pecunia decidit, qvæ ſtatim à magno piſce deglutita fuit, Cum vero piſcatores hunc piſcem expiſcati eſſent, S. Epiſcopo dono dederunt, in ejusq; ventre in venta eſt pecunia prædicta. *Cæſar Franciottus in vita S. Fridiani.*

IV.

Catenam argenteam pauperibus elargita fuerat *S. Brigida Kildariensis Abbatissa*; & ea paula post mirabiliter inventa est in Ecclesia eodem in loco, in qvo Sancta DEO preces fundere solebat. *In vita ejus.*

V.

Ignatius de Nente in Vita Vener. Sor. Dominicæ de Paradiso L. 2. c. 65. Ob continuos sumptus in fabricando monasterio, defecerat pecunia Vener. Dominicæ. Tunc illa firma spe ad B. Virginem confugit, qvæ noctæ illi apparens, centum nummos aureos propria manu illi elargita est. Aliis vicibus hoc idem prodigium evenit, in necessitatibus enim monasterii aut fabricæ dùm pecunia deficeret, hæc a B. Virgine mirabiliter illi suppeditabatur,

qvan-

qvandoq; enim aureos, qvandoq; argenteos nummos in ejus cella ſenſibiliter deportabat.

VI.

Egenos pauperesq;, maximè qvi mendicare erubeſcebant, Liberaliſſimè ſuſtentabat *B. Gulielmus Zucchius*, de qvo illud memoriæ proditum eſt, loculos, qvos ſecum ut pauperibus eleemoſynam erogaret, qvotidie deferebat, nunqvam, ſemel ab eo pecunia refertos, exinanitos fuiſſe, qvamvis extractam copioſius illam in dies diſtribueret. Qvapropter proverbio, qvod ad huc perſeverat res ceſſit. Nam cum ab aliqvo, qvi pluries illam erogant, rursùs pecuniâ poſtulatur, ab eo reſponderi ſolet: *me ne B. Gulielmi crumenam, qvæ non exhauriatur, putas habere.* In

actis Ss. Feb. tom. 2. in Continuatione *Bollandi*.

VII.

Divò Benedicto, aurum maximoperè aspernanti, accidit, ut à qvodam homine ære alieno gravato rogaretur, ut illi in tanta calamitate suppetias ferret; tunc Sanctus jussit tantum aurum è cælo delabi, qvantum ad satisfaciendum rogantis creditoribus sufficeret. *In vita ejus.*

VIII.

Petrus de Natal. L. 9. c. 74. de S. Magnobono Episc. Tempore famis ingruentis, dispensatori suo certam nummorum summam pauperibus distribuendam dedit, qvam ille in dispensando duplicatam invenit.

IX.

In Dordraco Hollandiæ oppido dicitur successu temporis jugulata

lata qvædam S. Virgo, *soterides nomine, sive sura*. Hæc Virgo fertur ædificasse Ecclesiam Dordracensem, tribus denariis emens necessaria, & semper eos reinveniens in terra. Qvam cum jugulassent tres operarii spe pecuniæ qvâ putabant Virginem abundare, invenerunt tantum tres denarios. *Bolland. in Feb.*

X.

Niceph. Callistus Ecclesiast. Hist. 6. 42. de S. Spiridione. Indigenti homini, & inopia magna circumvento, serpentem ad sepem, & macenam se volventem, in aurum convertit, eumq; illi dedit, ut eo mutuam pecuniam sumens, uteretur, penuriamq; suam solaretur. Cæterum cum se illi inopiâ depulsa, aliqvantum locupletasset, *Spiridion* serpentem ita ut tùm erat, ad locum suum

circà ſepem repoſuit. Qui viri Sancti precatione, priſtina recepta Natura, rursùm reptans, ac ſeſe circumvoluens, latebras ſuas intravit.

§. XXV.
INDUSTRIÆ.
Mures, glires, & Locuſtas fugandi.

I.

In circuitu urbis Anglonæ in finibus Lucaniæ, mures, & talpæ qvidqvid grani erat comederunt, fruticum arborumq; radices, & cortices eroſerunt. Rogatus B. *Capiſtranus*, ut tanto malo mederetur, inſtitutis piis ſupplicationibus, populum omnem ad peccatorum expiationem, & Euchariſtiæ ſusceptionem induxit, deinde ex ambone docuit propter peccata plagam hanc

hanc immissam, eamq; non alitèr, qvam pænitentia tollendam; mox præmissa oratione noxiis animalculis maledixit: seqventi die per campos, & prata tot apparuerunt mortua, ut necesse fuerit varias effodere foveas; qvibus sepelirentur, ne aerem corrumperent. *In annal. Minor. an. 1456. de B. Joan. à Capistrano.*

II.

In actis S. Urbani Episcopi Lingonensis apud Bolland. 23. Jan. Non diu Trecassinæ urbis populum latuit hujus Venerabilis, & præclari Pontificis meritum per multorum ora eis notificatum. Horum qvippè segetes cum innumeri mures devastarent, & ob hoc eorum deperirent labores; facto agmine, marcenniacum venerunt, & de templo ejus aqvam tali pestilentiæ compe-

tentèr Sanctificatam in vasculis secum detulerunt, cujus aspersione fugati sunt.

III.

In actis *S. Usmari Episc. & Abbatis in Belgio*. Cum sævissima pestis murium radicitus segetes devastantium popularetur in omnibus confiniis regionis Mosomagensis. Circumtulerunt S. Usmari reliqvias, & intra paucissimos dies omnis illa pestilentia ita penitùs est sedata, ut nulla ulterius regioni illi intulerit damna.

IV.

Cum semel *S. Ulricus eremita* in cella sedens, cappam à mure corrosam videret, ait: *Pereat mus qvi ita cappam meam lædere præsumpsit*. Et ecce dicto citiùs, mus demuro prosiliens corruit ad pedes ejus, & mortuus est, *Bollandus Tom. 2. Feb.*

V. Effe-

V.

Effecit *S. Uldericus ut* nulli magni mures ſint in cænobio, imo ut & aliunde importati vivere non poſſint; ſed illicò expirent, ac intermoriantur; qva verò induſtria id factum ignoratur, eodem beneficio affeciſſe dicitur totum Epiſcopatum ſuum Auguſtanum. *Bruſchius in Catolog. Monaſterior. de Utembura.*

VI.

Gretſerus in Giraldo. Eſt in Lagenia, provincia qvædam, qvæ Fernigenan dicitur, qvam à Guveſefordia ſolum *Slanenſis* aqva diſterminat. Unde mures majores, qvi vulgaritèr Rati vocantur, per imprecationem *S. Yvori Epiſcopi* (cujus fortè libros corroſerant) prorſùs expulſi, nec ibi poſtea naſci, nec vivere poſſunt invecti.

VII. Reli-

VII.

Reliqviæ, & pulvis tumuli, qvo sepultus est *S. Ulderieus*, glires fugant, imo & necant. *Joan. Euseb. de mirac. nat. c. 6.*

VIII.

Chr. Henriqvez 2. Decemb. de B. Roberto Abb. Varia ad ejus tumulum patrantur, inter qvæ fertur, qvod illius provinciæ incolæ, cum locustarum multitudine infestantur, ad B. Viri sepulchrum recurrunt, & ejus Corpus per agros circumferentes processionaliter DEI auxilium, & S. Roberti suffragia implorant, & locustæ à facie reliqviarum catervatim fugientes, in conspectu omnium subitò extingvuntur. Idq; sæpè accidit,

IX.

Si aliqvis pro imminenti damno, qvod fit sæpè a muribus, de

de uno ex panibus ſuis fecerit, pro animabus patris videlicet, atq; matris *S. Urbani Epiſcopi Lingon.* Eleemoſynam pauperibus; nunqvam poſtea cibaria ejus rodentur à ſoricibus. Peſtis animalium ſi evenerit, & ob hoc candela fiducialitèr Sancto delata fuerit, miſeratione DEI ad interventum Sancti, mortale contagium ceſſabit. *Bolland. 23. Jan.*

X.

Eſt macellum Viennæ Auſtriacorum, in qvod nulla muſcarum agmina convolant; qvæ tamen in macellis aliis incubant catervatim; tribuitur id verò Eccleſiaſticæ Cenſuræ Sancti cujusdam Epiſcopi: *Petra Sancta in Mirac. perpet.*

§. XXVI.

§. XXVI.

INDUSTRIÆ.

Morbum comitialem curandi.

I.

Monetæ ad huc aliqvòt extant, qvæ in honorem *Helenæ Augustæ*; & inventæ Crucis cum hujusmodi imaginibus excusæ antiqvitus fuerunt. Illis est præsens remedium adversus morbum comitialem, & qvi hodie vivit Turcarum Rex Amurathes, qvamvis à nobis alienus, vim Sanctam illarum expertus, solebat eas gestare; è morbo namq; hujusmodi interdum laborabat, nummi qvoq; *S. Ludovici Francorum Regis*, mirificè valent adversùs nonnullos morbos. *Tom. Bosius L, 15, c, 12,*

II. *Cæsar*

II.

Cæsar Franciottus de Ecclesia Lucensi. Terra qvæ est juxta Ecclesiam S. Genesii in Lucensi diæcesi, hac virtute pollere tradunt, ut qvi morbo laborant caduco, si piè & devote per eam ambulent, præsens remedium, & maximum mali sui levamen hic reperiant.

III.

In cæmeterio *S. Bibianæ* adhuc mirabiliter perennat species qvædam graminis, qvod ibi dùm adhuc viveret, plantavit *S. Bibiana*, atq; sanandum comitialem morbum mirabiliter DEI Virtute prodest. *In Libro Mirab. Romæ*.

IV.

Thomas Bozius Lib. 15. de Sig. Eccl. c. 3. Vigesimum qvartum annum *Rex Edvardus* ferè regnârat in Anglia, cum ei allatus fuit annulus

annulus à qvibusdam Hierosolyma venientibus, qvem ipse diu antea pauperi clàm dederat, qvi pro amore, qvem erga *S. Joannem Evangelistam* habebat, eleemosynam petierat. Ille annulus in templo Vuestmonasterij multa veneratione est servatus: & Angliæ Reges die Parasceves consveverant multa cæremonia sacrare tactu illius annullos, qvos qvi induunt, neq; stupore membrorum, neq; comitiali morbo tenentur.

V.

Alenqverio vicinus est fluvius, qvi ferè morbis omnibus medetur, etiam nostra ætate, & in actis apotheoseos *S. Elisabethæ Lusitanæ* multi dicuntur curati; qvam; Virtutem populus inditam fluvio credit, propter Elisabethæ freqventiam, & Sanctarum manuum

manuum ablutionem. *Vadingus in Annal. Minor. An. 1342. n. 25.*

VI.

Lelius Marinus in Vita S. Petr. Cælestini L. 4 c. 4. Propè vestem in Apulia mirabilis reperitur puteus, prope qvem fama est, S. Petrum Cælestinum captum esse, dum in carcerem duceretur; aqvæ autem illius in memoriam ejusdem Sancti devotæ ebibitæ, mirabiles in expellendis variis infirmitatibus continuò comprobantur.

VII.

Gumpemberg in Atlant Mariano. Ex fonte vulgo dicto Sacro, qvi est in monasterio Talensi propè Posonium in Ungaria, apud qvem olim adinventa fuit Ven. imago B. Virg. qvæ ibi colitur; bibentes qvæcunq; morbo ægri, intercessione B. Virg. sanitati restituuntur.

VIII.

VIII.

Sanctorum Trium Regum Nominibus imploratis, complures paroxiſmo Epileptico laborantes, fugato planè morbo, repente ſunt reſtituti. *P. Nadaſi.*

IX.

Florentinius in Martyrolog. vetuſtiori VIII. Kal. Septem. ſolemni die *S. Geneſii 25. Aug.* in pago Lucenſi Bargecchia nuncupato, in qvo eſt Eccleſia ejus nomini dicata, aniverſarium prodigium ætate noſtra adhuc perdurat. In pervigilio ejusdem Sancti, magnus fit ex convicinis populis ad Eccleſiam illam concurſus, qvi enim epileptico morbo laborant, familiaribus vel propinqvis ſtipati ad Eccleſiam alacres pergunt. Vix terram illam Saccram attingunt, qvi hujusmodi morbo laborant, cum ſtatim epileptico inſultu

insultu apprehenduntur, & in terram delapsi, piorum manibus ad Ecclesiæ porticum devehuntur; totaq; pervigilii nocte aliorum auxilio à porticu ad Crucem in extremo sacræ illius telluris appositam, vehuntur, & revehuntur, creberrimis morbi paroximis vexati. Plurimi integram sanitatem adipiscuntur, reliqvos constans fama est per annum à morbo ulterius non apprehendi. Omnia hæc qvotannis omnium adstantium oculis obviæ sunt, digna ut inter miranda ea referantur, qvæ tanqvam genuinæ Ecclesiæ signa voluit DEUS esse perennia.

X.

In oppido Ebbestorp ditionis Luneburgensis prodest langvorib⁹ qvibuscunq; oleum admirabile, qvo jugiter madet S. *Erlulfus* Episcopus

piscopus Verdensis & Martyr, à Normanis peremptus. *Petra Sancta de Mirac. perpet. c. 12.*

§. XXVII.

INDUSTRIÆ.

Rabie oppressos ob morsum rabidorum canum sanandi.

I.

In Diæcesi Bragarensi Regni Lusitaniæ, asservatur venerandum caput *S. Fructuosi Monachi*, cujus tactu à morsibus rabidorum canum icti mirabiliter sanantur.

II.

Petrus de Natalibus in Catal. Ss. L. 1. c. 20. Contactus calicis, & Patenæ S. Petri Chrysologi Episcopi Ravennæ, sanabat à morsu rabidorum canum.

III.

In Apuliæ Urbe Poliniana, ex brachio *S. Viti Mart.* extillant guttulæ,

guttulæ, qvasi olei, eoq; inuncti qvotqvot à canibus rabidis læduntur, dubio procul liberantur.

IV.

In actis *S. Udalrici Episcopi Augustani.* Contulit mira DEI providentia per Sancti sui merita, & aliud ægris medicamen Corporibus; nam graviter febribus laborantes, à rabidisq; offensi canibus, si ex calice, qvi in sarcophago supra Sacrum D. Patroni pectusculū inventus est, devote biberint, & S. Udalricum cordialiter oraverit, misericorditer eis sanitatis gratiam conferri consvetum est.

V.

Bergomi in Ecclesia *S. Michaëlis ad Puteum album*, reperitur dens *S. Domini Mart.* qvi in cratere argenteo una cum vino repositus, eidem mirabilitèr Vir-

tutem tribuit, à rabidis canibus morsos sanandi, illud devotè ebibendo, Bagat.

VI.

Joannes Robertus in vita S. Huberti Ep. & Conf. In Dicione Leodiensi intra saltum Arduennæ, S. Hubertus mirabilitèr sanat rabie oppressos ob morsum rabidorum canum, illiusq; devotos ab eadem divinitùs præservat.

VII.

In pago *S. Bellini Territorii Rodigii piè* colitur corpus S. Bellini Episcopi Patavini, cujus mirabilis Virtus in sanandis morsibus rabidorum canum continuo miraculo elucet. Item devotus contactus clavis ejusdem Bellini, qvæ in Monasterio monialium S. Petri Patavii asservatur, mirabiliter sanat à canum rabidorum lætalibus morsibus.

VIII. *Gen-*

VIII.

Gonzaga in Provincia Basilicatæ de Conventu S. Mariæ de sepulchro Potentiæ. Habetur hic qvoddam os S. Patritii, qvod Dæmoniacis, ac à serpentibus ictis, atq; rabie laborantibus, si aqva cui immersum fuerit, ab iis epota. Sit, maximè confert, ac intra breve tempus eos curat.

IX.

Pulvisculus lavaturæ reliqviarum *S. Osuvaldi* Regis Anglorum, mentis impotes sanat. Stipes, qvi recentem ejus cruorem susceperat, lotura sua sanitatem tribuit desperatis. *S. Antonin. 2. par. Chro. tit. 13. c. 6. §. 14.*

X.

Ictibus serpentium medetur terra Melitensis, ex qvo *S. Paulus* in Insulam descendit tempestate jactatus, & à vipera percussus,

nihil mali sensit. *Thom. Bocius L. 15. c. 15.*

§. XXVIII.

INDUSTRIÆ.

Res furto ablatas, vel deperditas inveniendi.

I.

Invocata *S. Edigna Virgine*, qvæ colitur Bucchæ in Bavaria, res qvocunq; eventu ablatæ, seu furto surreptæ, solent mirabilitèr inveniri; qvare ut furtis præfecta ibidem veneratur. Idem quoq; mirabiliter apparet invocata *S. Walburge Virgine* Eystadii in Germaniâ. *Bollandus. Tom. 3. Febr.*

II.

Extat Ecclesia in rure Danubii, in qva *S. Martyris Qvirini* implorata ope, res furtivæ sponsoribus intra triduum, aut restituebantur, aut earum fures deregebantur,

bantur. Patuit iſtud tùm per multa exempla, tùm in fure qvodam, oleum, qvi tertio die, qvo votum S. Qvirino editum fuit, ultro adveniens reſtituit. *Idem Tom. 3. Mart.*

III.

Gumppenberg. de Imag. B. Virginis de Roſa Buduvicii in Boemia. Dudùm Princeps fæmina Mediolano ivit in Boemiam, neſciò qva de cauſa; in reditu, Imaginem han Thaumaturgam inviſit; devotionis autem cauſa, Roſam, qvam neſciò qvis dexteræ Virginis manui impoſuerat, abſtulit, ſecumq; detulit. Sed piam rapinam Virgo non probavit, recepit qvam primum qvod ſuum erat; nam poſtera mox die Roſa dexteræ Virginis inſerta ſterit; & hanc ipſam fuiſſe ſine terrore verendo, Ducíſſa aſſervit.

IV.

Colganus in vita S. Fridiani Episcopi. Habet in ſcotia molendinum S. Fridiani gratia divina ex meritis B. Fridiani miraculum inauditum, qvod nullum genus frumenti, ſeu leguminum, vel aliorum de furto, vel rapinà, ſivè uſuris, ſive alio modo injuſtè acqviſitum, molat, vel ad farinam reducat; unde humanæ naturæ Conſveta refectione ſatisfaciat. Hoc utiq; miraculum usq; hodie vigens locum illum venerabilem reddit.

V.

Habebat hircum B. *Patritius*, aqvæ ſibi bajulandæ Miniſterio deputatum, ſivè artificio, ſeu potiùs miraculo huic operi adaptatum. Hunc qvidam Vir ventricula de Omeith furto ſurripuit, ſublatum mactavit, & manducavit. Author furti, ſivè fautor

tor investigatur: qvidam suspicioni patens evidentibus aliqvantis indiciis invenitur, sed facinus non inficiatur solùm, verùm etiam furto perjurium accumulans, juramento ab objecto reatu se exuere conatur. Mirum effatu sed mirabilius apparuit actu. Hircus comestus in ventre furis, turpisono balatu, latrocinium in auribus astantium prodidit, & clamore miraculoso meritum S. Patritii prædicandum propalavit. *Vita ejus.*

VI.

Henriqvez in fasciculo de B. Roberto Abbate Molismensi. Cum ejus intercessione, qvædam mulier S. Abbati secundum carnem propinqva, monile deperditum, mirabiliter adinvenisset. Hoc miraculum in ea regione tàm celebre evasit, ut qvisqvis aliqvid amise-

rit, ad Viri DEI auxilium confugere non moretur; atq; ita rem amissam sinè dilatione recuperet. Alphonsus Carillius S. J. Schedam, inqvares magni momenti erat amissam, celebrato uno sacro pro animabus purgatorii, à juvene qvodam recepit.

VII.

Furatus qvis fuerat in Comitatu Baduano in villa *S. Vedasti*, qvæ dicitur Vulfara, oviculam, cum pauper patrocinium S. Vedasti imploraturus Ecclesiam adiit. Ibi presbyter in Ecclesia furtum manifestans, excommunicationem contra furem se laturum indixit, nisi oviculam redderet; sed frustra; altera die cum de eadem re populum moneret, cumq; reus sceleris præsens inter reliqvam multitudinem adstaret, subitò de sinu ipsius,

us, chirothecæ qvasi balatum dederunt. Qvo signo populus viso, Dominum voce in altissimis glorificat, qvi secreta revelat, & S. Veneratur vedastum, cujus mentis hoc miraculum affirmat factum. *In actis Ss. Febr. Tom. I. Bolland.*

VIII.

Surius in vita S. Vulmari Abbatis 20. Julii. Fur qvidam prava ductus cupiditate, abstulit eqvum Viri DEI; sed cum totam noctem errabundus vagaret, non potuit attingere locum qvo tendebat. Manè alterius diei ad portam monasterii inventus est eqvo insidens, de qvo nec per se descendere potuit, nec ab alio deponi. Tandem Vir DEI accessit ad eum, & deposuit, liberumqꝫ à se dimisit.

IX.

In actis Ss. in vita S. Mochuæ c. 5. apud Bolland. 1. Jan. Fur, cum ſarcinam magnam ex Mochuæ tritico ſurreptam, indorſum ſibi impoſuiſſet, nec incedere, nec onus ullo modo deponere qvivit, donec deprehenſus ab evocato Mochua, Sanctiſſimæ Triadis nomine fuit vinculis occultè retinentibus ſolutus.

X.

Mirum eſt, qvod apud omnes Catholicos compertiſſimum eſt, & paſſim in dies experiuntur, qvi rem deperditam adinvenire diſiderant: recitantes enim Reſponſorium illud: *Si qværis miracula &c. S. Antonii de Padua*, aut ſtatim inveniunt, aut certè ubi extet, à qvo ablata ſit, in qvos uſus verſa, clariſſimè dignoſcunt, qvod pleriq; fide digni, ſibi ſemper eveniſſe teſtati ſunt.

§. XXIX.

INDUSTRIÆ

Fulgura, Grandines, procellas, & tempestates depellendi.

I.

Numiſmatibus benedictis, in qvibus cum imagine Crucifixi inſculpta ſunt hæc verba: *JESUS Chriſtus Rex gloriæ venit in pace, DEUS homo factus eſt, & Verbum caro factum eſt: Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat, Chriſtus ab omni malo nos defendit*: admirabilem contra fulgura ineſſe Virtutem, ea firma fide ſecum deportantes continuò experiuntur. Qvinimò fidelium pietas eadem verba in ſummitatibus turrium, & teſtudinum, Eccleſiarum ad repellenda fulmina inſculpere felici eventu conſveſcit; ut videre

est in testudine *S. Petri Romæ*, *S. Andreæ de Valle*, aliisq; in locis eminentioribus, qvæ fulminibus è Nube erumpentibus primo obvia esse solent. *Joan. Bonifac. Bagat.*

II.

Dùm crebris fulminibus locus, qvi Clusa dicitur feriretur, & desolationem cænobio tempestas horrida ob qvorundam Fratrum interitum Minaretur; *Vir Sanctu Hugo Abbas Cluniacensis* de mutanda loci habitatione Consulitur. QvI DEO plenus, locum non esse deserendum respondit: Sed Beati Laurentii Martyris patrocinium qvotidiana Comemmorationc implorandũ. Cujus Consilii tanta apparuit efficacia, ut ab illo tempore meritis S. Martyris, ac fide beatissimi Patris, à fulmineis ictibus qvielceret locus ille. *In Vita S. Huuginis Abb. Cluniac.*

III. In

III.

In Oppido Carabacensi Regni Muricæ in Hispania, devote asservatur veneranada Crux, qvæ ex vero Crucis signo efformata, Hierosolyma ab Angelis illuc advecta fuit *Ven. Viro Ginesio Perez Cirino Sacerdoti*, dùm in eodem oppido à Zeit Abuleit Mauro Rege Valentiæ an. 1230. jussus sacris facere, crucem in altari abesse animadvertit. Hujus Crucis Carabacensis, peculiaris, & profectò mira Virtus est, convellere, & dissipare aëris potestates, qvas excitant freqventissimè in ea, ceteroqvi amænissima, regione, mundi rectores, tenebrarum harum aereæ potestates. Censentur etiam securi ac tuti à fulmineo ictu, qvi Cruciculas gestant solo illius contactu inauguratas. *Petra Sancta de miraculis perpet. c. 13.*

IV.

In Ecclesia Vindii in Assuria reperitur brachium sinistrum Sanctissimæ Crucis, qvod illuc Hierosolyma ex revelatione sibi facta detulit *S. Turibius Asturicensis Episcopus.* Prædictus Sanctus anteqvam moreretur, suppliciter exoravit Dominum, ut tres gratias concederet parvis Crucibus, qvas fieri fecit, perq; foramen prædictæ Dominicæ Crucis transmitti jussit; *primo*, ut contra fulgura, & tempestates admirabilem haberent virtutem; *secundo*, ut Dæmonibus essent Nocuæ; *tertiò*, ut robur animæ, corporiq; augurent; Annuit S. Antistitis orationi pissimus DEUS, aliamq; in signum veritatis addidit gratiam, ut hujusmodi Cruces ligneæ, qvæ ex natura sua supernatant aqvis, postqvam per prædictum

dictum foramem pertransierint, non amplius supernatent, sed in profundum immergantur. Hæ Cruces usq; modo ibidem fiunt, per foramen Ss. Crucis transmittuntur, experimentum prædictum apparet, mirabilesq; illas devota fide secum ferentibus causant effectus, & gratias. *Bagatta in admirand.*

V.

Capilli *S. Mechtildis*, qvi ad huc conservantur in Monasterio Diezzein in Bavaria, certissimo sunt remedio contra tempestates & fulgura & surgentibus ventis, atq; minitantibus, capillos Sanctæ suspendunt in aere; sicq; tempestates conqviescunt, consilescunt tonitrua, acsi Dominus JESUS imperet eis, sicut in mari qvondam, ita nunc in terra. Hoc tàm solitum in Monasterio, tam

notum

notum in Provincia, ut capillorum S. Mechtildis ostensio, sit tempestatum depulsio: nec post mortem ejus illic noxiæ fuerunt, cum priùs sæpè nocuerint. *Engelhardus in vita ejus.*

VI.

Per intercessionem *S. Veremundi Alb. Hyrachensis in* Navarra, expositis ejus reliqviis, ab immemorabili tempore observatum est, tempestates subortas, terribiles grandines minitantes, illicò in svavissimam aqvam decidere. Sicuti è converso, qvoties protrahitur nimina cæli serenitas, & terra imbres desiderat, cum ad S. Veremundi invocationem acceditur, statim cæli distillant a facie ejus. *Bolland. Tom. 1. Mart.*

VII.

Gumppenberg, de imag. B. Virg. de Legarda, Legardæ in Navarra.

Templum

Templum in qvo hæc Venerabilis imago colitur, qvoties annus ſiccitate, aut nimiis laborat pluviis, Navarri, & Caſtellani, qvi trans flumen Iberum illas terras incollunt, magno numero freqventant, nec in caſſum. Nam opem miraculoſam DEIparæ experiuntur.

VIII.

Idem de imag. B.V. Baſelgana, Baſelga in German. Super. Fama eſt cælo irato, placari hujus templi campanarum ſono, turbines, pluvias grandines; ceſſareq; æditųos pulſare campanas non ante, qvàm videant duo, vel tria lumina ſupra templi tectum, ſub qvo S. Imago ſtat, ſecuros, tempeſtatis aut finem adeſſe, aut Vires nocendi frugibus abeſſe.

IX.

Augnſtinus Caſtanus in diſſertati-

one

one de Virtute Agnus DEI *Num.* 40.
Oppidum erat in Comitatu Bononiensi propè confinia Ducatus Ferranensis (vulgò dictum Barisella) in cujus Territorio volvebatur jam septimus annus, qvo præ multitudine, & vehementia grandinum & tempestatum, omnes terræ fructus intempestivè dissipabantur maximo cum incolarum detrimento. Incertum an talis eventus ab aëris naturali intemperie, an vero à maleficorum præstigiis proveniret; qvando, Qvadragesimali tempore ibi Concionator advenit, cujus excellentia singularis erat in Dæmones fugandos, cuiq; insignis fides erat in Virtutem Agnus DEI, Misericordiaq; motus erga populum tàm diuturna Clade perterritum, indicta universali processione, eum excitavit ad fidem præ-
standam

ſtandam Agnus DEI, qvo devotè expoſito, & Crucibus in confiniis erectis, appenſo, aſſeveranter promiſſit in poſterum fore præſervandos ab omni grandinum, & tempeſtatum inundatione, qvod mirabiliter hucusq; contigiſſe elapſis jam circitèr viginti tribus annis uno ore teſtantur Terrigenæ, Imo maximo cum ſtupore obſervatum eſt, exundantibus ex omni parte in gyrum tempeſtatum procellis, omninò ſemper intactum, & illæſum conſervari dicti oppidi Territorium; idemq; pariter experiuntur multi, qvi eidem Virtuti Agnorum, vinearum indemnitatem, fidentes conſignarunt.

X.

Euroſia Bohemiæ Regis filia, Aragoniæ Regi per nuncios deſponſata, veniens in Hiſpaniam. cum

Mauro

Maurorum rabiem sævientem contra Christianos audiſſet, ad montes Pyrenæos fugiens, in ſpelunca apud oppidum, qvod verna vocabatur, latuit cum multis Hiſpaniæ & Bohemiæ nobilibus; ad qvam ſpeluneam cum mauri perveniſſent, ob fidei Catholicæ Confeſſionem jugulata fuit. Qvæ cum ferientis gladium patienter expectaret, hæc Angelica vox audita eſt; *Veni electa mea, ſponſa Chriſti accipe Coronam, qvam tibi Dominus præparavit, & donum, ut qvotiescunq; pro pluvia vel contra qvamcunq; tempeſtatẽ fueris à Chriſti fidelibus invocata, erit eorũ oratio exaudita.* Lucius Marin. ſicul. L. 5. de reb. Hiſp. *S. Anthimus Ep.* à populo Stronconenſi devotè colitur, ejusq; patrocinium contra grandines & tempeſtates felici eventu invocatur. *Jacobillus in vitis Ss. Umbriæ.* §. XXX.

§. XXX.

INDUSTRIÆ.

Qvartanas, Tertianas, & qvotidianas febres curandi.

I.

Neapoli qvotannis benedicitur aqva ad honorem *S. Candidæ* cum reliqviis ejusdem Divæ, qvam devotè, & firmà fide bibentes, qvi febri præcipue qvartana laborant, per intercessionem S. Virginis ab ea mirifice liberantur. Qvartanarii Missas celebrantes in honorem *S. Sigismundi Burgundiæ Regis* à febri liberantur. *Greg. Tur. de glor. Mart. c. 25.*

II.

Thaumastus Ep. Momociacensis admirabilis Sanctitatis, defunctus est in oppido Pictavo, ibiq; sepultus super terram ante ipsum atrium *B. Hilarii*: De qvo tumulo

lo erasus à multis pulvis, & haustus, ita dolori dentium, febriumq; medetur, ut qvi hauserit, miretur effectum nam ita hæc benedictiò assiduè experitur, ut jam in uno loco sarcophagus appareat transforatus. *S Greg. Turonen. de Gl. Confess. c. 53.*

III.

Rotbetta in suo itinerario Trac. 3. c. 18. Mirum illud est, qvod de Nummis B. Helenæ fertur; nimirum, cum hæc Sancta plura ædificia erigeret, & pecunia defecisset, hos divinitùs formasse, sumendo nimirum pusillum terræ, & positum inter digitum indicem, & majorem, conprimendo, ea statim in æs vertebatur; hoc adjecto, qvod ex una parte concava scilicet, imago ejusdem *S Helenæ* repræsentabatur, extrimè Christi, & MARIÆ imago appare-

apparebat. Hos nummos adhiberi Contra febres, & mira, si adhibentium fides adsit, operari experientia compertum est.

IV.

Donum à febribus sanandi habere putantur in Flandria, qvotqvot nati sunt ipso die Parasceves, & qvotqvot nullo fæmineo fætu intercedente septimi masculi legitimo toro sunt nati; qvot neqvit ad naturalem causam reduci, qvare prodigiosa est curatio, & si nihil superstitionis accedat, reducenda ad Curationem supernaturalem. Non enim absimile est, ob diei honorem, & misterii Sanctitatem, & honorem conjugii, hoc DEUM concessisse. *Mart. Delrius L. 1. c. 3. q. 4. disq. Magic.*

V.

Gumppenberg. de Imag. B. Virg. de Voort, Hildevasi in German. Infer.

fer. Radicata ab antiqvo eſt perſvaſio, à febribus certam eſſe liberationem, ſi æger tribus continentèr ſabbatinis diebus ædiculam, in qva hæc imago colitur, viſitet. Lectulus *B. Galli* curat qvartanam. *Signius c, 22. Reliqviarii.*

VI.

Arelati in Conventu Minimorum ſub altari Majori ſunt varia Sanctorum ſepulchra, qvorum unum aqva ſemper eſt plenum, & febricitantibus ſalutare potantibus, *Bagatta.*

VII.

Joannes Zellius, per qvatuor menſes oppreſſus febri hectica tertiæ ſpeciei, progreſſa in exqviſitum maraſmum, cum pulmonis ulcere, tuſſi marcidum ſangvinem excreante, ac gutture paritèr ulcerato; cui etiam ſupervenerat febris putrida, ac maligna, adeò

adeò qvod ſuſceptis omnibus moribundorum Sacramentis, ad extremum redactus agonem, jacuerit absq; motu, & arteriarum pulſu, trium medicorum voce jam proclamatus; Demùm *S. Roſæ Peruanæ* auxilio implorato, ſumptoq; ſepulchri ejusdem pulvere in cochleari aqva reſoluto, confeſtim ſalutem cum priſtino vigore recuperavit. *In actis ejus.*

VIII.

Urclenege hemi in Flandria adeſt Eccleſia Parochialis dedicata *S. Chryſolio M.* juxtaq; eam fons ſcaturiit, qvem eidem Sancto Martyri poſt abſciſſum verticem, viam facienti, & vehementer ſitienti, DEUS repentè ſuppeditavit, multiq; remedium hauſto ejus latiæ febribus qværunt. *Bollandius Tom. 1. Febr.*

IX.

Alius fons, ibidem Nuncupatus B. Virginis, perennans in valle Josaphat (in qvò illa fonte, Lineam pueruli JESU supellectilem dicitur Mundasse) febribus medetur Christianorum pariter, & Machometanorum, ut proinde certatim ab eis in pretio, cultuq; habeatur. *Petra Sancta de Mirac. perpet. c. 28.*

X.

Gregor. Turon. L. 4. Mirac. S. Martini c. 10. Est apud nos patena colore saphurnio, qvam dicitur Sanctus de maximi Imperatoris thesauro detulisse: de qva super frigoreticos Virtus sæpè procedit. Nam si in accessu febrium qvis positus, qvi cum tremore fieri solet, advenerit, & de ea aqvam hauserit, mox sanatur. Filia Arborii Præfecti per impositionem

tionem Epistolæ *S. Martini* à gravissimis liberata est febribus *B. Alcvinus in Vita S. Martini.*

§. XXXI.
INDUSTRIÆ.
Panem, & alia edulia multiplicandi.

I.

Petrus de Natal. L. 1. c. 33. de S. Nicolao Episcopo. Qvodam tempore, dùm unicus solummodo panis in cellario repertus esset, operariis in Ecclesia sua laborantibus apposuit, indeq; plane omnes refecit.

II.

In vita *B. Luchesii tertii Ord. S. Francisci.* Cùm semel ad illius domum multitudo pauperum confugisset, rogavit uxorem, ut iis panem daret; qvæ cum nihil in arca remansisse assereret, jussit iterum, ut in arca panes qværeret

reret; fecit illa animo tamen in-
credula, & arcam divino mune-
re panibus exuberantem invenit.

III.

S. Homobonus, cum egenis de-
disset eos, qvos in arca panes re-
pererat ad qvotidianum familiæ
usum, totidem in ea svaviores,
& similagineos vicissim à DEO
accepit, admirante uxore, qvæ-
sta nimiam alioqvi ejus benigni-
tatem. *Surius in Novembr.*

IV.

Krantius Lib. 9. Metropolis c. 2.
Seviit fames usq; adeò, ut mul-
ta hominum millia perirent, pe-
riissentq; plures in diæcesi Bre-
mensi, nisi Vir magnarum virtu-
tum *Joannes Bock Ecclesiæ Bre-
mensis Decanus* largissimas fecis-
set eleemosynas in granis, & fa-
rina, dudùm in eos casus colle-
ctis. Erogabat ille largissimè.

Qvum

Qvum admoneret familia, parum superesse, qvod propriis necessitatibus vix sufficeret ad dies paucos: *Ite, inqvit, perqvirite angulos omnes diligenter.* Illi autem pridie vacuata vasa relinqventes, ubi redierunt ad jussum Domini, plora omnia repererunt: stupefacti renunciant. Ille jubet largius erogari. *Scio* inqviens, *Beatum Petrum non deserturum suos, cui dictum est à Domino*: Modice fidei, qvare dubitasti.

V.

Alcuinus in vita S. Willibrordi Epis. Tracectensis. Sanctus DEI sacerdos in qvodam loco iter agens, vidit mendicantes inopes duodecim, pariter postulantes sibi aliqvid à prætereuntibus solatii. Qvos, ut erat mitissimus, benigno adspexit animo, uniq; ex suis mandavit specialem suum

flasconem sumere, ac pauperibus Miscere Christi. Ex qvo omnes illi duodecim usq; ad satietatem bibebant. Et mirum in modum, illis abeuntibus, ex optimò vino, flasco, de qvo tanti biberant homines, inventus est plenus ut antè. Hoc comperto, benedicebant omnes Dominum DEUM nostrum dicentes: *Verè impletum est in nobis qvod in Evangelio dicitur: Date, & dabitur vobis.*

VI.

S. Macteus qvadam vice benedicens aliqvid butyri, cuidam dedit mulieri, dicens illi: pone hoc exiguum in vase tuo, sed præter te nemo sciat, vel videat, & distribue largiter pauperibus Christi, cunctisq; indigentibus, qvantò enim ampliùs distribuetur, tanto magis augmentabitur dixit, & dictum subseqvitur effectus,

ctus, butyrum namq; illud annis qvatuor copiosè distributum duravit, *Colganus in vita ejus.*

VII.

Pauperibus distribuerat legumina omnia, qvæ domi erant cujusdam mercatoris (cui inserviebat) *S. Verdiaria Virgo Castelli Florentini in Hetruria*; interim ea herus cuidam vendidit, acceptoq; pretio, domum, ut ea secum deportaret, deduxit emptorem; hic cum vas vacuum reperisset, vociferari, & convicià evomere cæpit, magno vicinorum, & domesticorum scandalo; qvod ut cognovit S. Virgo, totam se orationi dedit, in eaq; integram noctem exegit, postridie arcam, ut priùs, fabis plenam invenit; herum advocat, & monet, ut qverelis deinceps abstineat, Christus enim, qvi fabas ac-

ceperat, eas illi restituerat. *Bollandus Tom. 1. Febr.*

VIII.

In Actis *S. Kentigerni Episcopi 13. Jan. apud Bollandum.* Cum totam annonam pauperibus erogasset, assumpta arena vice seminis in terram sparsit, & Messis tempore, triticum optimum terra produxit; omnes hoc audientes, DEUM in sancto ejus laudare & benedicere fecit.

IX.

Philip. Ferrar. Mense Majo die 27. de B. Theobaldo Conf. Cum farinam, qvam ferebat, pauperibus in summa egestate divisisset, divino qvodam Consilio, saccum arena pro farina repletum ante fores illius, cujus erat, deposuit; qvæ arena in optimam farinam conversa deprehensa fuit.

X. Qvadam

X.

Quadam vice ivit *S. Brigida Kildariensis Abbatissa* ad Virginem religiosam; illa autem non habens aliud, paravit ei cænam de vitulo unius suæ vaccæ, & ligna telæ suæ incidit, & coxit vitulum; audiens autem hæc S. Brigida, mane restituit ei vitulum, & ligna telæ renovata inventa sunt, ut antea fuerant. *Bollandus Tom. 1. Feb.* Pulvis de tumulo *S. Chunegundis* Imperat assumptus, sæpè Conversus è in frumentu. *Innocet. 3. in Bulla Canonicat. apud Gretserum.*

§. XXXII.

INDUSTRIÆ.

Infirmitates varias sanandi.

I.

S. Wendelinus haud procul Co-

 lonia

lonia Arippinensi Herniosos liberat, ideoq; freqventes qvotannis ad eum confluunt. *Petra Sancta in Mirac. perpet. c. 13. Gumppenberg de Imag. B. Virg. Stokelensi* in German. Infer. Hoc in templo, DEIpara, licet nulli desit misero, herniosis tamen magis propitia est.

II.

Leo à Rosmital. Super Lanceam, qva Christo Domino Sacrum transfixum fuit pectus, annulos ponebant; ut qvi dolore, vel punctione lateris infestarentur, præsens, & certum apud se dictis annulis haberent remedium.

III.

Agyræ in Sicilia est templum D. *Philippi*, qvi fuit *S. Petri Apost.* discipulus, & ab illo missus in Siciliam, ad qvod qvotannis eo die, qvi illi sacer est, multi à Dæmonibus liberantur; unde aut

nunqvam, aut qvam rarissimè nisi præsentissimo numinis remedio omnes confugientes liberati discedunt.

IV.

Ferrariæ in Monasterio Corporis Christi, piè asservatur scutella, qvam à *S. Josepho* mirabilitèr accepisse *B. Catharinam de Bononia* tunc temporis in eo Monasterio commorantem, piè creditur: est autem traditio, eam esse qvâ B. Virgo Infantulo JESU potum præstabat: Tactu ejusdem scutellæ multi infirmi à langvoribus liberantur, hoc continuo prodigio, ut si infirmus ad pristinam est miraculosè redigendus sanitatem, dùm Sacram scutellam firmà fide & devotione tangit, illa mirabilem emittit odorem, qvem nullo modo exhalat si sanitatem non est consecuturus. *Jacob. Grassetus in vita B. Catharinæ Bonon. L. 1. c. 18.*

 V. In

V.

In Hamettensi Parochiali Ecclesia honorificè asservatur oleum, à corpore *S. Catharinæ Virg. & M. emanans*, ex monte Sinai illatum, non sine prodigio; etenim ut accrescit Luna, & decrescit; sic & oleum in phiala reclusum; qvod nec tamen arescit unqvam; & sæpe aurium dolore laborantibus impertit sanitatem. *Arnoldus Rayssius, in Hierogacoph. Belgico.*

VI.

Inter signà qvam plurima illud Dominus Sancto suo *Erminoldo*, qvasi privilegium speciale concessit, qvod ægrotantes ad ejus ut fieri solet ponderati sepulchrum, vel continuò ejus meritis convalescant, aut ab ægritudinis diciturnitate mortis Compendio prorsùs absolvuntur. *In actis ejus apud Ratisbonam.*

VII.

VII.

Bzovius in Annal. Eccl. an. 1507. in vita S. Francisci de Paula L. 1. c 6. Fornacem ferventius ſuccenſam, in qva calx de coqvebatur, illæſus ingreſſus, & egreſſus eſt *S. Franciſcus de Paula*, ut periculo, qvod ingruebat paupertati, tanti viri ſeſe opponeret innocentia, & caſtemonia. In cujus Miraculi, qvod vulgatiſſimum fuit, monimentum, eo loci viſitur ſacellum, illincq; tellus educitur, è qva vaſa opere figulino compoſita per univerſum orbem deferuntur, ad febrium, aliorumq; morborum freqventiſſimam medelam.

VIII.

In loco in qvo Martyriò affecti fuêre in India apud Thanam *Ss. qvatuor Fratres, Minorum*, usq; in hodiernum diem DEUS Omnipotens Miracula non ſolū in

fidelibus, ſed etiam in Infidelibus operatur, nam Idololatræ & ſaraceni cum morbo aliqvo detinentur, accipiunt de terra illa, in qva Beati Martyres ſuum ſangvinem effuderunt, & illam abluentes, ipſam loturam bibunt, & multi mox ab omni ægritudine liberantur. *Vading. in annal. Minor. an. 1321.*

IX.

Fons, ſeu *Natatoria ſilve*, in qva ex Chriſti Domini præſcripto, cæcus natus oculos lavit, & vidit, Conferre ad viſum perhibetur; Magni faciunt ipſimet Machomentani tàm eo nomine, tùm qvia innatum fætorem ex eorum Corporibus extergit. *Petra Sancta in Mirac.*

X.

S. Petronillæ de Pago Hantorff. propè Monaſterium, Weſtphaliæ urbem

urbem primariam, curare dicitur mentis impotes, seu delires. *Petra Sancta in Mirac. perpet.* Qvotidiè stramine tecti *S. Germani* Curantur furiosi. Ad lectulum S. Gertrudis jugiter Curationes fiunt. In lectulo S. Geminiani de mutina Episcopi liberantur à Dæmone vexati. *Signius c. 22. Reliqviarii.* Si qvibus à Lepra periculum est, maturè adeant templum B. Virginis Thieletariæ in Germania, perenni prodigio sanitatem conseqvuntur; si qvidem ipsi obicem non ponant. *Vuikmans Lib. 2.*

§. XXXIII.
INDUSTRIÆ.
Futura mala & infortunia prænoscendi.

I.

Ambrosius Frigerius in vita S. Nicolai

colai Tolentinatis par. 2. c. 2. Brachia S. Nicolai Tolentini ſangvinem, vel per thecam argentiam emittunt, cum aliqvid portentoſum imminet Chriſtianitati. Hæc prodigia ultimis his annis ſæpè accidere, de hisq; diffuſe hic auctor in qvodam Libello.

II.

Thom. Bozius Lib. 15. c. 10. de ſignis. Vidi ego in monte Falco, & qvivis hoc videre poteſt, ampullam ſangvinis plenam, qvi è Corpore *B. Claræ* effluxit. Is eſt concretus, non in pulverem redactus, poſt tot annorum, curricula; & qvoties aliqvid Calamitatis imminet Reipubcæ Chriſtianæ, continuò hic incipit colliqve fieri, ſubſilire, & efferueſcere; & qvò Major futurus eſt caſus, eò concitatior, ac diciturnior eſt agitatio.

III. *Idem*

III.

Idem Lib. 15. c. 10. de Jannuaria Virg. Eugubii. Habetur ejus cadaver in lignea arca ſub altari decentiſſimè ornato: atq; ubi imminet aliqvod funeſtum, & lugubre, vel Monaſterio vel urbi, auditur è capſa ſtrepitus qvaſi pulſantis; nuperq; Monaſterium propè totum miſerrimo incendio conflagravit, & paulo ante magnus ſtrepitus fuerat auditus; inventumq; Cadaver, qvot prius ſupinum jacebat, in faciem deorsùm ſe convoluiſſe.

IV.

Solet, ut conſtanti fama Gandavi traditur, pulſum velut manibus edere circa feretrum ſuum, *S. Bertulphus*, gravi aliqva imminente divina ultione, & ſic tanqvam admonere fideles, ut precibus, & fructibus pænitentiæ iram

DEI

DEI aversam placarent. *Joan. Molan. in Natal. Ss. Belgii de S. Bertulpho 5. Febr.*

V.

Petra Sancta de Mirac. perpet. c. 13. Qvotiescunq; Mauri, Regni Granatensis oppidum, arcemq; Carabacensem invadere deliberant, semper arcula pulsum, & tinnitum edidit, intra qvam est Crux Carabacensis.

VI.

Joan Eusebius de Mirac. Nat. L. 1. c. 9. In sepulchro *S. Jacobi Hispaniæ Patroni*, audita instrumenta bellica, & strepitus interni, significant pericula nostra. *Idem ib. c. 10.* Memoria dignum est, ossa Comitis Capellæ fortissimi Fernandi Gonzalis, qvæ jacent in S. Petro Arlaneæ, strepitu, & concussione sua significare Victorias Catholicorum contra infideles.

Observa-

Obſervatum inſonuiſſe vehementer in oppugnatione Granatenſis Regni, cum tandem omnis Hiſpania Mauricum jugum excuſſit.

VII.

Antonius Caracuolus de Sangvine S. Januarii, qvi Neapoli Conſervatur, & ad præſentiam capitis ordinarie liqveſcit. c. 20. Illud Conſideratione dignum eſt. In imminentis mali omen accipiendum eſſe, qvoties pretioſus hic cruor ad capitis præſentiam minimè liqveſcit. Sic obſervatum fuit anno 1527. & ſeqventi, cum Roma à Borbonio capta, & Pontifex in caſtron S. Angeli obſeſſus fuit, Et an. 1550. & 1558. Cum Turca depredatus fuit multas regni civitates. Et anno 1569. in magna caritate, ob qvam innumeri fame perierunt.

VIII. Ubiq;

VIII.

Ubiq; decantatum eſt illud, è Magni illius Cid, Ruitz tumulo auditum fragorem armorum, Hiſpaniæ & Eccleſiæ Calamitatem protendere. *Bollandus Tom, 1. Febr.*

IX.

In Vita *Ven. Sor. Euſtochii Virg. Clariſſæ Meſſanenſis.* In Monaſterio Montis Virginis Meſſanæ, in qvo reqvieſcit corpus Ven. Euſtochii, qvotiescunq; eidem aliqvod grave imminet infortunium, obſervatum eſt, prediɛtam Virginem manibus extenſis apparere. Corpus *S. Agnetis Politianæ*, qvod in eadem Civitate integrum conſervatur, videtur ſemper ſudare Sangvinem, inſtante aliqva ejus Civitatis flagellatione.

X.

In Martyrolog. Gallicano 16. Julii de Ss. Ferreolo & Ferrentio MM. Ve-

ſontio-

sontione in Galiis qvieſcentibus. Impendente ipſi Civitati publico qvopiam malo, viſuntur duæ ſplendidiſſimæ faces, qvæ Civitatis Mænia, & propugnacula obambulant, ſuoq; qvaſi præſidio Communiunt, ingenti circumvallantes lumine, & ardore. Qvod ante non multos annos, cum hæreticorum exitioſæ acies, Catholicæ omninò urbi imminerent, experimento deprehenſum eſt.

§. XXXIV.
INDUSTRIÆ.
Veritatem & mendacium cognoſcendi.

I.

In Vita S. Felicis Nolani. Inter miracula, qvæ hic Sanctus operabatur, erat divinitùs veritatem detegere, qvæ alia via in lucem produci non poterat; nam vehemen- tibus

tibus indiciis aliqvis de crimine ſuſpectus, ut ſe purgaret, ad Sancti ſepulchrum ducebatur, juramentum emiſſurus, ſicq; fiebat, ut ſi veritatem qvis negaſſet, ſtatim plecteretur divinitùs. Hujus rei meminit qvoq; *S. Auguſtinus.*

II.

In Laudenſi æde in Andibus, crux ſumma religione à Gallis colitur; Peructus opinio tenet, qvi ad eam conceptis verbis peierarit, intra annum vertentem peſſimo letho occumbere. *Aemilius Lib. 10. Francorum.*

III.

In vita S. Patritii Ep. Eſt Lapis propè locum (in Hibernia) poſitus, qvem S. Patritii Petram incolæ vocant; qvia ſuper illam qvidam eum natum fuiſſe, qvidam Miſſam celebraſſe exiſtimant, Qvoties aliqva controver-

ſia

ſia inter convicaneos, vel vicinos vertitur, qvæ juramento Concludenda decernitur, ad petram prædictam acceditur, & Sacramento corporalitèr præstito, cauſa terminatur. Si verò pecerans, vel falſidicus teſtis ſuper eam manum extenderit, protinus aqvam effundere conſvevit, & qvàm ſit execrabile crimen perjurii, aut falſi teſtimonii Cunctis patentèr Sanctitas Patritii oſtendit: alioqvin nec guttulam ſudare ſolet, ſed in ſiccitate, duntaq; naturali permanet.

I V.

Si intra ſepta Eccleſiæ *S. Deſiderii Lidgudnenſis*, invocato nomine Chriſti, ſuper ejus Sanctum altare, ſub falſitatis ingenio mendax perpetrare tentaverit Sacramentum, ultione divina illicò in perditionis ſententia condemna-

condemnatur. *Vincentius in spec. Hist. L. 19. c. 2.*

V.

Gregor. Turonen. de Glor. Mart. L. 1. c. 20. In urbe Turonica est Ecclesia, S. MARIÆ Virg. ac Joann. Bapt. nomine consecrata, in qva periuris ultio divina apparet.

VI.

Idem ibid c. 39. Ad Pancrati Martyris sepulchrum si cujusqvam mens juramentum inane proferre voluerit, priusqvam sepulchrum ejus adeat, hoc est anteqvam usq; ad cancellos, qvi sub arcu habentur, ubi Clericorum psallentium stare mos est, accedat, statim, aut arripiatur à Dæmone, aut cadens in pavimento amittit spiritum. Ex hoc enim qvisq; fidem cujuscunq; rei ab alio voluerit elicere, ut Ve-

rum

rum cognoſcat, non alitèr niſi adhujus Baſilicam deſtinat. Nam ferunt, pleroſq; juxta Baſilicam Apoſtolorum, ſivè aliorum Martyrum commanentes, non alibi pro hac neceſſitate, niſi templum expetere B. Pancrati, ut ejus ſeveritatis cenſura publicè diſcernente, aut veritatem audientes credant aut pro fallacia judicium Martyris Beati experiantur

VII.

Idem ibid. c. 103. Apud Conſtantinopolim magno cultu Polyoctus Martyr colitur, pro eo præcipuè qvod cum magnis Virtutibus polleat, in periuris tamen præſens ultor exiſtit. Nam qvicunq; ut ad ſolet occultum ſcelus admiſerit, & data ſuſpicione ad hoc per ductus fuerit templum, aut ſtatim qvod admiſit virtute Martyris pertenitus con-

 fitetur

fitetur; aut si perjuraverit, protinùs ultione divina percellitur.

VIII.

Idem Lib. 2. de Glor. Mart. c. 39. de S. Juliano Mart. Est in Turonico Vicus, cui Gaudiacum Nomen est, in qvo B. Martyris Juliani reliqviæ continentur, qvi cum magnis Virtutibus crebrò illustretur, in perjuris tamen plerumq; agitat ultionem. Nam cum ibidem qvis inimico humani generis svadente perjuraverit, ita ultio divina proseqvitur, ut protinus aut in successione damni, aut in amissione proximi, aut in consumptione morbi manifesta patescat, non tamen causam remanere inultam Martyr prorsùs indulget: sed nec ibi tàm ausu temerario perjurat barbarorum cruda rusticitas.

IX. S.

IX.

S. Odo in Vita S. Geraldi Comitis. Conſtat qvod hic Sanctus Vir dùm viveret, multas Ss. reliqvias ad Aureliacum advexit: inter cætera S. S. Cimelia qvæ illic habentur, eſt lignum Domini, cui talis Virtus ineſſe freqventi experimento dignoſcitur, ut ſi qvis illud portet eqvitando, eqvus in brevi moriatur, aut ſi periurium fecerit emptilentiſcus fiat: non pauci etenim jam propter hoc peccatum caduci facti ſunt. Incolæ autem mores ferinos habere ſolebant, ſed aliqvando exemplo vel reverentia S. Hominis eſſe mitiores videntur: Cùm autem fædus, aut grande juramentum inire decernunt, per qvemlibet Monachum, aut Clericum, qvi tamen pedeſter incedat, deferri ſibi faciunt.

X.

Colganus in Vita S. Fridiani Ep. Accepta, ut moris eſt, à ſummo Pontifice benedictione, ad terram ſuam remeare curavit Fridianus portans ſecum reliqvias, & decreta, qvæ pro munere Apoſtolicus ei donavit, qvæ ad huc dicuntur Canones S. Fridiani, Evangelia qvoq́; , qvæ terra illa nondum plenè ſuſceperat; Qvibus nimirum DEUS tantam virtutem conceſſit, qvod ſi qvis per ea juraverit, morte vel amentia in eodem anno divina ultione mulctetur. Campana etiam, qvæ juxta Viri imperium, cæleſtia tonantis Machili facta (Machili eſt nomen loci) ſi Sacramenti nomine pulſetur, eandem vim habere dicitur.

§. XXXV.

§. XXXV.

INDUSTRIÆ.

MISCELLANEÆ.

I.

Gonzaga in Provincia Aragoniæ, de Conventu Dominæ nostræ de Monlora. Est hoc Monasterium unum ex totius Provinciæ devotioribus, atq; amænioribus, in cujus sacrario, cujusdam *B. Patris Didaci Minoritæ* os asservatur. Hoc si aqva perfundatur, & illa armenta respergi contigerit, à qvavis infirmitate liberantur. Qva etiam de causa præsens locus pastoribus celeberrimus est. *Idem in Provincia Carthaginensi, de Conventu S. Francisci Huétæ.* Ea Lapidea seraphici Patris Francisci Imago super præcipuum altare erecta, à perfido qvodam Judæo per ludibrium fabrefacta dicitur. Qvod

an ita sit, Dominus novit. Hoc tamen certissimum est, qvod aqva ejus cicatricibus infusa, morbos à gregibus, si tactæ pecudes ipsa respergantur, abigit.

II.

Lutetiæ Parisiorum, nihil est magis celebre, ac notum, qvam dùm imbres cæli pro agrorum cultura, & pro messis proventu desiderantur, semper, & ubertim exprimi ex nubibus jejunio indicto, & inita supplicatione, in qva Reliqviæ sacræ circùmferantur Sanctissimæ Genovefæ. *Petra Sancta in Mirac. perp. c. 10.* *Tornaci in Belgio* in pluviæ seu serenitatis necessitate effertur Corpus S. Eleuterii, suntq; Cives semper illius ope, voti sui compotes. *Idem.*

III.

Thomas Cantiprat. de fratre Joanne Prædicatore, Vulgatissimum Miracu-

Miraculum referebatur ſub anno Incarnationis Domini M.CCXXXI. Pica erat in domo hoſpitis, qvi Sanctum Virum recipere ſolebat, qvæ humana voce loqvi docta, Sanctum Virum præcipuè diligebat. Servus autem qvidam in domo picam occidit, clamq; comedit. Introgreſſus ergo Vir Sanctus hoſpitium, clamavit ad picam. *Ubi es nunc amica mea, ubi es?* Nec mora de ventre comedentis, reſpondit: *Adſum, adſum.* Mirantibus omnibus, vulgatum eſt verbum, concurrent populi, de ventre comedentis pica diebus plurimis loqvebatur.

IV.

Gonzaga in Prov. Portug. con. 8. Monia. Magna graſſante peſte per totam Civitatem Conymbricenſem, Monaſterium S. Claræ inceperat adeò periclitari, ut moniales

 niales

niales timore mortis concussæ de fuga ab eo loco inter se agerent; dùm verò de modo magis decenti ad fugam capessendā deliberarent; ecce repente ad ostium pulsat pauper qvidam eleemosynam petens; ad qvem cum venissent qvædam moniales, propriumq; timorem aperuissent, dixit illis: *Dabo vobis efficacissimum remedium ad propulsandam pestim* tradiditq; chartam, & Antiphonam DEIparæ Virginis in ea scriptam *stella cæli extirpavit &c.* Jubens, ut singulis diebus eam recitarent, & statim disparuit. Tunc cæperunt Moniales singulis diebus eam recitare, qvo præstantissimo antidoto, cælitus, ut creditur, demisso, Monasterium in mediis flammis grassantis pestis, ab ejus contagione omninò immune servatum est.

V. No-

V.

Nobilis familia est in Civitate Parthenopea, cognomento Galeotta, cui universæ S. *Franciscus de Paula* dicitur impetrasse à DEO, ut ex illius stirpe nullus absq; cælesti Viatico decedat, sed eo instruatur, muniaturq; peregrè iturus ad sedes piorum; hoc est moriturus. Hactenùs ajunt, semper ita evenisse; nec actum alitèr vel iis esse, qvi ferro læsi, cæsiq; mortem violentam oppetiverunt. *Petra Sancta de Mirac. perpet. c. 11.*

VI.

Buscherius apud Torrigium in Cryptis vaticanis. Cum ad sepulchrum Principis Apostolorum oraret *S. Servatius Episcopus Tungrensis*, ab eodem Divo Apostolo mirabilitèr Clavem argenteam, qvam secum semper ferret, accepit; Hinc tempore sterilitatis devotè per

campos ferentes incolæ, mirabilem continuò experiuntur fertilitatem.

VII.

Tempore Justiniani Imperatoris passa est Antiochia terræ motus, magnos, & tempestates, & faciebant *Litanias* omnes discalceati, clamantes *Kyrie eleison*. Apparuit autem in visu cuidam Deicultori, ut diceret omnibus, qvod scriberent in superliminaribus suis: *Christus Nobiscum: state*. Qvo facto, stetit ira DEI. *Uspergensis Abbas in Chron. an. 527.*

VIII.

Vading. in Annal. Minor. Anno 1215. Auream mediocritatem precatus est *S. Franciscus* hospiti suo in villa Fyti, propè Alverniæ montem, postqvam ab eo benevole exceptus est hospitio, ita videlicet, ut ejus domui nec divitiæ, nec paupertas à DEO daretur.

tur, sed victus tantum necessarius; Id qvod usq; hodie in ea domo perseverat, ita ut hospes ille, qvicunq; sit, nunqvam ad pauperiem redigatur, sed nec divitias reqvirat; unde id hospitium Domus S. Francisci appellatur.

IX.

In diœcesi Bragarensi Regni Portugalliæ asservatur venerandum caput *S.* Fructuosi monachi, super qvod pia devotione qvemlibet pannum reponentes populi, ex tali contactu illum à corruptione mirabilitèr præservari continua experientia, admirantur. *Aloysius Torellus in Hist. Augustin. an. 568.*

X.

Philipp. Ferrar. Mense Novemb. die 20. de S. Columbano Eremita. Columbanus cùm apud Civitellam, oppidulum Æmiliæ, & Meldulam, intra sylvas habitaret,

& prætereuntes prædaretur, aliqvando conversus, eam vitæ austeritatem amplexus est, ut sese ferrea catena (qvæ adhuc asservatur, & cum fiducia accedentes à morbo gutturis, tacta liberare solet) qvotidie diverberaret.

XI.

In Monasterio Aqvincincti in Belgio asservatur annulus qvi B. V. MARIÆ fuisse asseritur. Hic illegitimè impregnatas odit: in cujus rei testimonium, adolescentula qvædam, cum jam pridem extra matrimonium corrupta, dictum annulum sibi Monstrari enixè rogasset, & à sacerdote moneretur, si uteri conscia esset recederet, imperterrita stetit, & ut contingeret accessit; & ecce Sacro porrecto pignore, sarcinam publicitus exposuit, actorum turpitèr testem præsentissimam. *Locim L. 5. c. 31.*

XII.

XII.

Petr. de Natal. L. 2. c. 1. Experimento probavi, qvod si pulegium collectum sit in festo Nativ. S. Joannis Bapt. in aurora diei, & ex eo factus manipulus servetur usq; ad diem Dominicæ Nativitatis, ex sicabitur, sicut natura deposcit; qvodsi manipulus in nocte Nativitatis ponatur in altare, in qvo prima Missa est decantanda, missaq; mediá nocte cantetur in hora Nativitatis Dominicæ, pulegium aridum revirescit.

XIII.

Ragusæ urbe Illyricorum, pannus est S. Simeonis ejus, qvi parvulum JESUM excepit in templo exultabundus inter ulnas suas. Is veró pannus Circùmfertur qvotannis in publica supplicatione *S. Blasii Episcopi, & Mart.* observantq; Clerus & Cives mo-

tum, aut qvietem ejus; si seq; sponte depressus, indicat annonæ caritatem. *Petra Sanct. in Mirac. perpet. c. 12.*

XIV.

In Hibernia est rupes S. Michaelis, ad cujus Sacram ædem, & cæmeterium confluunt voti causa peregrini numero magno; Illuc verò aves convolant, nec prætervolant, sed sponte illabuntur in cæmeterium ut præda sint, & cibus peregrinorum; si manus hi abstinent, extra fines illos sensim emigrant, & rursùs avolant suæ compotes libertatis. *Petr. Sancta c. 28.*

XV.

Gumppenberg de Imag. B. Virg. de Vaccis Avilæ in Hispania, Dominica secunda Mens. Maji, qva festum celebratur hujus Sanctæ imaginis, advolat qvotannis unus inusitatæ magnitudinis & vetusta-

vetuſtatis papilio, & veſti adhæret Sanctæ ſtatuæ, qvodq; mirum eſt, nullis muſicorum vociferationibus, nulla populi clamoſa admiratione pellitur. Qvandoq; dùm ipſa ſupplicatio pompam ducit per urbem, advolat inſpectante urbe, nec ampliùs diſcedit. Finita celebritate ſeu vivus, ſeu mortuus præcipuis viris donatur. Anno 1655. Reginæ miſſus eſt, maximum miraculum fit etiam poſt mortem papilionis; ſiqvidem applicatus hic papilio ægris, qvam plurimos ſanavit. Nec novum, qvia hoc ſingu'is annis inſpectante urbe contigit.

XVI.

Ob innumera beneficia, qvibus per interceſſionem B. Bartholomæi Illyſiponenſis fruuntur populi Tagaſtenſes in Africa, propè ejus ſepulchrum in pauperum

ſubſi-

ſubſidiũ ſalis copiam conſervant, & cuiq; pugillũ extrahere concedunt. Si qvis autẽ Majorẽ qvantitatẽ auſu temerario ſurripere audeat, ſtatim in pænam furti, infirmitate corripitur. *Chronic. S. Auguſtini.*

XVII.

B. *Joannes Capiſtranus*, Aqvilæ in veſtinis, dignis efferebat laudibus JESU Sanctiſſimum Nomen, Angelis celebrandum, hominibus venerandum, & Dæmonibus tremendum. Utq; centum Vigiuti millium hominum cætus videret, qvàm potens, & efficax eſſet contra malignos ſpiritus, in prædicti Nominis Virtute præcepit, ut adeſſent, & coram omnibus divinum verbum in tabella depictúm adorarent. Ecce in ictu oculi variis formis belluarum apparuerunt frementes, & ululantes Dæmones innume-

numeri, inclinataq; cervice, facta reverentia evanuerunt. *Vading. in Annal. Minor. an. 1456.*

XVIII.

In vita B. Nicolai de Rupe par. 3. c. 2. Joannes Krummenacker, Civis & totius subsiluaniæ Labarifer, inter suos thesauros numerat nummum aureum, qvi qvondam ad B. Nicolaum pertinuisse dicitur, qvem ille ægris exposcentibus pro impetranda sanitate sæpius commodatum mittit, non sine fructu, ut multi testantur.

XIX.

Scribit Seraphicus Ubertinus Casalius Libro Arboris vitæ Trac. de Nomine JESU, & ex eo Pelbartus, qvod cum qvædam mulier à Dæmone Incubo nimium qvantum vexaretur, nec ullum remedium tanto suo malo repe-

riret,

tiret, petivit à B. Edmundo consilium, qvi ei svasit, acciperet Virgam, Nomine JESU & MARIÆ utraq; ex parte insignitam, eaq; fœdissimum illum cacodæmonem cæderet, futurum enim, ut illorum Sacratissimorum Nominum Virtute fugaretur, qvod & factum.

XX.

De B. V. MARIA dicit Salomon: *Lignum vitæ est hu, qvi apprehenderint eam, & qvi tenuerit eam, beatus.* Hebræus legit: *Lignum vitarum*, Arabicus: *Ipsa est lignum vitæ, custodiens omnes qvi eâ proteguntur; & qvi nituntur ei, tanqvam ille qvi innititur Domino.* Verè MARIA Lignum vitarum est. Qvicunq; enim filiali affectu, amoreq; eam complectuntur, non modò longam, ut plurimùm felicemq;, verùm etiam

gloriâ

gloriâ honorumq; titulis, opibusq; redundantem hanc temporalem traducunt vitam, siqvidem, *Longitudo dierum in dextera ejus, & in sinistra ejus divitiæ & gloria*; ut ait Salomon. Jam verò eadem Virgo gloriosissima, pro insigni sua, qvâ in omne genus hominum affecta est pietate, revelavit Sanctæ suæ Birgittæ *in Revelat. Extrav. c. 85.* peccatoribus damnandis solitam esse vitam citiùs abrumpere ne longiorem vitam ducendo, & peccata peccatis accumulando, majores cruciatus, ac tormenta in Inferno patiantur.



INDEX

INDEX INDUSTRIARUM.

§. XXXIV. *Induſtr.* Veritatem & mendacium Cognoſcendi.
§. XXXV. *Induſtr.* Miſcellaneæ.

Induſtrias animadverti patere invidiæ.
Eccl. 4.

Laus DEO, pax Vivis, reqvies æterna defunctis.

FINIS.



